BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Camerarius, Joachim

Libellus novus Epistolas ... complectens

Lipsia 1568

Epist. 148
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10175786-3
VD16 C 411

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

1017576

10175786

St. L. 51 35.

<36606794960010

Bayer. Staatsbibliothek

10175786

Epist. 148

10175786

Libellus Nouus,

EPISTOLAS

ET ALIA QVÆDAM MONVMENTA DOCTORVM

superioris & huius ætatis complectens.

Quæ scripta omnia eiusmodi sunt, vt eorum cognitio neq; utilitate caritura, & uoluptatem legentibus allatura esse uideatur : Editus studio

Joachimi Camerarij

Pabeperg.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA exprimebat Anno Christi

M. D. LXVIII.

Cum Priuilegio Quinquennij.

Sum Ioh. Georgij à Werdenstein, 1568

10175786

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

AD PRAESTANTEM DIGNITATE, NOBILITATE GENERIS, VIRTVTE ET HVMANITATE Dominum Reinartum Schenck, Præfectum Illuſtriſs. munitioni Zigenhanenſi in Haßia etc. Ioachimi Camerarij Pabeperg. Proœmium.

DER horum temporum miſeras uices, & inter uarias difficultates, in quibus non minimæ ſunt odiorum et ſimultatum præſentia periꝛcula, & neceſsitudinum familiaritatiſq; dubia fortuna: Nonnunquam acquieſcit animus meus in quadam iucunda cogitatione ſuperiorum annorum, in quibus adoleſcentiæ meæ ætas acta eſt. Quam faciles enim & repentinæ exiſtãt modo alienationes animorum, quam graues inimicitiæ ubiq; fere exerceantur, quam infidæ

ſint coniunctiones, & non raræ, ſed nullæ propemodum uſpiam amicitię, quid opus eſt diſputando demonſtrare? cum nulla, non dico in ciuitate, ſed domo, de iſto huius vitæ incommodo querelæ non deplorentur. Etſi autem me non fugit inter ſenectutis vitia numerari aſperitatem quandam repræhendendo ſuccreſcentis ætatis ſtudia atq; mores, & prædicando de antiquæ vitæ ratione & modo, tamen non vereor vel meam fidem obſtringendo, vel aliorum cognitionem appellando, affirmare: Iuuentutis meæ ſæculum, hoc in quo ſeneſco, cum manſuetius atq; modeſtius, tum ſimplicius, atq; vt ita dicam, candidius fuiſſe, ſi vniuerſum cum vniuerſo cõparetur. Nam & olim inſolentes leuesq;, nec non peruerſi improbiq; aliqui vbiq; locorum ac gentium fuere reperti, neq; ego me ex hoc numero penitus eximo: Et hodie multi inueniuntur paſsim temperantes ac boni. Sed orationis meæ eſt generalis, hac in par-

in parte, mentio. Disserui autem ista alias quoq; , neq; me piget aut pudet eadem repetendo exponere. Neq; enim indigna assidua tractatione ea iudico, & hanc cõmentationem mihi iucundam esse semper sum expertus. Cum sane ne ægritudo quidem perturbati animi sæpe absit, dum inter hæc recordor cum tristissimo desiderio paucis annis amissarum reliquiarum suauissimæ consuetudinis illius, & Musici sodalitij. Ex ijs enim, quos diuersis scriptis meis celebraui, & cum quibus adolescẽs iuuenisq; vixi in studio communi optimarum disciplinarum atq; artium, & quos partim colui obseruauiq;, vt præstantiores, partim dilexi carosq; habui, vt æquales: Ex his, inquam, reliquus est nemo, quod sciam, omnium præter vnum Iohannem Francum portunũ. Quem paulo me grandiorem fata, si ita loqui fas est, reseruarunt ad spectaculum atrocium actionum, & sensum mœstitiæ summæ, experientem

in patriæ communis calamitate fortunam priuatim acerbam atq; duram, & nunc in ſqualore ac luctu degentem vitam pietatis illam quidem & virtutis laude commendatam, ſed neutiquam expertem grauis & iuſti doloris. Etſi vero hic à profeſsione & tractatu bonarum litterarum atq; artium receſsit, id quod accidit alijs compluribus, vel conſulto & rebus poſcentibus, vel fortunæ aliqua iniquitate: Laudare tamen adoleſcentis illius vere poſſum diligentiam adhibitam in ſtudijs noſtris incredibilem, & exercitationem quoq; doctrinæ ſcholaſticæ aliquando haud ſpernendam. Cum ego tunc quidem eum habuerim ſodalem cariſsimum, & nunc habeam amicum conſtantem ac fidelem. Inter omnes autem quos magnifeci & amicos, familiares, neceſſarios habui illis temporibus, princeps fuit Eobanus Heſſus, & ſua excellentia, & conſuetudinis noſtræ diuturnitate. De quo comperta mihi narra-

narratione aliquando mea curaui di=
uulganda. Quod arbitrarer ad mei
quoq; nominis bonam existimatio=
nem pertinere, & diligentiam com=
memorationis illius meam, & co=
gnitionem amicitiæ nostræ, & quod
ea occasione mentionem facere con=
cederetur complurium, qui tunc no=
ti mihi ita vixissent, vt ad posterita=
tem relinquerent memoriam exi=
miam virtutis, integritatis, probita=
tis, humanitatis. Cum autem nuper
forte Epistolæ quædam Eobanicæ ad
me & alios scriptæ incidissent in ma=
nus meas, quæ hactenus inter sane
confusas cartas meas delituerant, In
his relegendis & reminiscendo vitæ
illius aliarum rerum securæ, inq; solo
quasi commercio Musarum versan=
tis, & ipse tum perfundi voluptate,
& credere alios quoq; libenter eas
esse lecturos. Itaq; exprimendo cu=
raui edendas, vna cum quibusdam
aliorum, Chunradi Mutiani inpri=
mis, viri dignitate, virtute & doctri=

na præſtantis. Adderem ſapientia, niſi illa tempora omnem ſapientiæ efficacitatem excluſiſſent. Sed de his nunc ſcribere non eſt propoſitum, Cum præſertim iſta oratio non poſſit non ad materiam multiplicis perturbationis euadere. Reperimus vnam Epiſtolam iocoſam inprimis, quam & ipſam cum placuiſſet adiungere cæteris, viſum eſt mentionem hoc in loco facere de iſto iocandi genere, quod Eobanus interdum quaſi diſcutiens cogitationes grauiores, ad amicos vſurpabat. Etſi autem hæc ſunt eiuſmodi, vt apud ignaros temporum & hominum morumq; illorum, magis detrahere de exiſtimatione nominis Eobanici, quàm dignitatis aliquid addere poſſe videantur, Doctos tamen & eruditos ex his quoq; fortuitis & inconcinnis quaſi geſtibus, iudicium de ingenij Eobanici ſolertia & venuſtate facturos eſſe ſumus arbitrati. Et memini iocos tales aliquando ſeria ducere, refutando arrogan-

arrogantiam quorundam & erudi=
tionem doctrinæ immodice oſtentan=
tium, cum in iſtiuſmodi ſcriptis, qua=
ſi induſtriæ ſtudio compoſitis, ali=
quas occultas ſententias latere ſuſpi=
carentur, & illis exquirendis ſeſe in=
terdum anxie torquerent. Commu=
nicauit autem Mutianica & verſuum
Eobani ſcripta mecum ante aliquot
annos, dignitate & doctrina clariſs.
V. D. Bruno Seidelius, cuius etiam
Epiſtolam de hoc ipſo, ante ea expri=
mi ſtuduimus. Dilata ſane diu res,
multis de cauſsis, & editioni iſti va=
ria impedimenta & diuerſæ moræ il=
latæ fuerunt. Quæ tandem, vt perfi=
ceretur, à nobis eſt non ſine difficul=
tate elaboratum. Addidi & aliorum
Epiſtolas, inq; his doctrinæ erudi=
tione ſuperioris altero quouis, vel
certe non inferioris Adriani Turne=
bi, cum quo ſuperioribus annis pau=
cis amiſimus maximam ſpem, quaſi
culturæ accuratioris optimarum di=
ſciplinarum & artium. Adieci &

meas quaſdam, vt libellus minus eſſet exilis, quarum forte exempla aſſeruata iam reperiſſem. Quod ſi res & tempus feret, dabitur à nobis opera, vt paulo poſt aliæ etiam prodeant Epiſtolæ lectione doctorum bonorumq́ nequaquam indignæ, cuiuſmodi peruerſo prauoq́ iudicio atq́ conſilio quorundam non paucos libellos euolare cernimus. De quo tamen non tam meam aſſeuerationem, quàm aliorum, qui iſta legenda putauerint, ſententiam valere, rationemq́ vincere par eſt ac decet. Meum quidem votum eſt pietatis, vt ſpero, plenum: Si, quæ â me proferuntur, vel mea vel alterius cuiuſpiam ſcripta, aliquam DEI æterni ſanctiſſimo nomini maculam aſpergant, ſiue veritati religionis & puritati diſciplinæ Chriſtianæ officiant, ſiue vllius pietate, virtute, doctrina celebris laudi exiſtimationiq́ bonæ obtrectent, ſiue honeſtatem probitatemq́ vitæ ac morum vlla ex parte lædant, (id

quod

quod eiuſmodi certe erit, vt in eo non propoſiti & voluntatis culpa ſit, ſed erroris & imprudentiæ crimen) Tale igitur quicquid à me prolatum, editum, diuulgatum fuerit, opto & cupio ex animo ſtatim interire atq; extingui, vt in nullius mortalis, ſi fieri poſsit, manus perueniat. Vſq; adeo abhorret animus meus ab omnibus pernicioſis ac malis conſilijs tam dictorum quàm factorum. Sed de his (iſto enim loco & in præſentia copioſior diſputatio importuna videri poſſet) quæ commemoranda duximus hunc finem habeant. Venit autem mihi in mentem nunc quoq;, id quod alias tetigimus: Quædam, quæ hoc libello exponuntur pertinentia ad me, incurſura fortaſſe in iocos facetorum, qui dicturi ſint, fieri præconia de me à meipſo, & iſtis diuulgandis pronunciari tanquam mea voce nomen proprium. In quo olim ludorum Gymnicorum precones fuerint verecundiores, quiq; hoc intorqueant

queant: οἴκοθεν ὁ μάρτυς, & similia. Verum hoc deterrere me à proposito editionis istius debere non putaui. Et in veritate enim suæ nulli laudes aspernandæ sunt, Et inter adolescentiæ peccata (de quibus DEI æterni misericordiam imploro) si studia fauoremq; bonorum & doctorum conciliare mihi tueriq; potui, eo senectus mea absq; inuidia ornari, & exemplum ad imitandum adolescentiæ horum temporum recte vtiliterq; proponi videtur. Sed & de hoc satis.

Quod autem, tam vetere quàm recente more, hunc quoq; libellum peculiari compellatione ad aliquem mittere vellem, cui istam studij mei operam non ingratam fore, & quem fautorem beneuolumq; habuisse haberéq; eruditos atq; doctos constaret, nec non notitia aliqua complectentem cum nomina tum personas ipsas eorum, de quibus in hoc libello fit mentio: Subiecit mihi reuerendus opti=

optimusq; & doctiſs. vir Leonardus Criſpinus preſidens in Eccleſia Chriſti Ieſu Hombergæ, præſtantis virtutis & humanitatis tuæ, Reinarte, perſonam, & generis cõditionisq; egregiæ præclarum nomen. Cui affirmaret magnam voluptatem allaturam eſſe lectionem iſtorum maximo liberalium ſtudiorum amatori, & erga horum cultores benigniſsime affecto, & iſtud bonum decusq; in hominum vita mortali, cum intelligenti tum ſuſpicienti, quiq; & ſuperioris ætatis doctos ſcientiaq; litterarum expolitos ſumma beneuolentia complexus eſſes, & præſentis ætatis litteratos te caros habere magnioq; faceres, quibuſcunq; rebus concederetur, declarari ſtudens. Hoc iudicium & iſta voluntas in te, eo eſt admirabilior, quod in quadam fatali huius ſæculi miſeria & ſacrorum profanorumq; confuſione, & Martio furore tam armorum ſtrepitus quàm verborum tumultus, non modo negligitur reſpe-

reſpectus Muſarum, id eſt, cura exercitatioq; virtutis atq; ſapientiæ, ſed pulcer, illæ virgines paſsim exterminantur, & introducitur facies barbariæ, neq; audiuntur carminũ modi & ſuaues citharæ & lyræ ſoni, ſed vel belli dat ſignum rauca cruentũ Buccina, vel rixarum altercationumq; iurgia perſtrepunt, inuidia, odijs, ſimultatibus, inimicitijs, ſæuo incendio, vbiq; flagrantibus. Etſi igitur antiqua generis nobilitate & propria virtute celebratur, Reinarte, præſtantia tua, hæc tamen laus & ipſa neq̃quaquam contemnenda, vel potius pulcerrima exiſtimanda eſt: In tanta hominum peruerſitate & diſſolutione vitæ, & in his errorum tenebris, te & vidiſſe tenuiſſeq; veram rectamq; pietatis & honeſtatis viam, & hanc ingredientibus ſequentibusq;, omnia fauoris benignitatisq; officia præſtitiſſe. Quæ cum in præſentia non ſilebuntur, tum propagabuntur honorifica prædicatione ad poſteros. De

quibus

quibus plura ad te præſertim (etſi
alijs potius quàm tibi iſta narrantur)
nunc dicenda non ſunt. Et de iſto
opuſculo nos tantum quaſi præfatos
eſſe, teq; de ſententia Criſpini com=
pellaſſe, probari cupio præſtanti vir=
tuti & humanitati tuæ, cuius volun=
tati inſeruire, pro viribus, parata
diligentia operæ ſtudijſq;
mei ſemper eſt fu=
tura.

10175788

τὸ τριγωνωδῶν πατέρων ἄπο σῆμα κορωνῶν
τῶν καμεραριαδῶν ἐστι παβεργιέων.
Ἐ μὲν ἄγαν περίφημον, ἐοῖς γνωστὸν ἢ πολίταις
εἰς ἀριθμηθεῖσας τρεῖς τρὶς ἐτῶν γενεάς.
Ἴλαος σὺ ἢ χρίς ἐπὶ λοιπὰ τιθεὶς, ὅσα γ' ἔσαι,
αἰὲν ἔχοις πιστὸν τόνδε δόμον πελάτῃ.

Cornicum triquetræ ſunt hæc inſignia formæ,
Est Camerariadum quæ nota priſca domus.
Hic ubi adhuc Pabeperga ſuis ſtat nixa ruinis,
Cæſareasq; ægre, quaſſa tuetur opes.
Non turpis nota, non opibus quanquam inclita. nouit
Annis ſed centum ter prope quam patria.
At tu Chriſte uoles quodcunq; adiungere tempus,
Quæſo clientelæ ſeruiat omne tuæ.

OPTIMO IOACHIMO CAMERARIO AMICO VNICE CHARO SVO.

SAlue. Hoc ſcribo, nihil eſſe quod ſcribam Ioachime. Qui uales? non enim deſino ſollicitus eſſe de te poſtquam hinc abijſti. Tu uero de me quid? fero æquo animo abſentiam tuam, ne hic morbo pereas, qui ex patriæ tuæ procelloſis tumultibus rediſti ſaluus. Ego periculo me incontanter expoſui, quod parua ſit admodum iactura uobis futura, etiam ſi multi tam ignobiles amiculi uobis pereant. Satius eſt enim ſolum hic eſſe nunc quam mecum uos perire, ego quippe quia mala ſum herba non pereo, noſti illud noſtrum, patientia, quo quid dicto breuius ſenſu latius ſit, non uideo. Itaq; mi Ioachime, patientia, donec tu redeas. Redibis uero, niſi exciderunt ea tibi quæ tecum fabulabar antequam hinc ſolueres. Dabis operam ut Philippum familiarem habeas, uerum hoc, etiam ſi ipſe non admoneam, facturum tamen te eſſe confido. Potes autem obliuiſci Eobani tui tam amantis? non credo, & certum eſt non poſſe. Scribes igitur ad me ſæpe, hoc erit enim pignus amicitiæ inter me ac te. Scripſi ad Ionam pontificem ſummum ueſtrum, quid nunc conſtituam, quod ſi tibi quoq; probabitur, putabimus non omnino uana fuiſſe Regia conſilia. Saluta Hacum charißimum

10175788

utq; illum fac mi Ioachime, ut ames plurimum. Dignus est enim. Desinam nunc ineptire tecum absens quoniam id facturus sum præsens paulo post, para declamationem qua Regem excipias. Pestis nobiscum fit indies lenior, & quia fidem non habetis Poëtis, Iuro tibi triduo hic nullos, quos ego sciam, descendisse ex nostris ad inferos, & silet ista odiosa Libitina, nosq; pro ea Lauernam colimus, ita sumus furaces, mysteria ne produntor. Reuixit Glaucia nuper mortua tuæ Circes germana soror. O Circe, inquis, ô calypso, Dij te ament, ut illæ te, ut tu hoc dissimulas? Salutant te muti mei parietes, salutant te & Muscæ molestissimæ, nam alij non aderant, quorum nominibus salutem tibi adscriberem, & erat omnino adscribenda. Carolum autem Franciscum uicisse utinam uere hoc. Vbi Lutherus? Quid molitur Caper? quo sunt illic loco nostræ nugæ? Rescribe omnia sic uolumus, sic iubemus. Satis ne hoc tibi ô profuge? Molestus mihi es etiam absens, non possum enim ne furca quidem te ex istoc animo expellere, quin recurras continuo. Mandamus tibi per Iouem ἀπόμυιον, et μύαγρον heroêm, ut Museis omnibus ratus sis, quæ me scribentem interturbarunt, nec passæ sunt plura scribere. Saluta omnes qui sunt Vuittenbergæ in Domino, nec eorum præterire sinas quempiam quin salutes hoc modo: Salutat te, ô homo, Hessus Rex. Præcipuos uero Philippum, Ionam, Hacum, Amsdorffium, Nam Vorchemio scribimus. Perde ineptias non relegi.

10175788

relegi. Vale. Erphurdiæ altera natalis Mariæ.
M. D. XXI.

Tuus Heſſus Eob.

EXIMIO IVVENI IOACHI-mo Camerario Babenbergenſi vtriuſq; litteraturæ pulcre gnaro, ſuo cariſsimo amico. Salutem.

NON *recte in Homericum chryſen ſtomacharis, optime Camerarie, quaſi eius ſacerdotis imprecationibus motus Apollo ὁ ἑκατηβελέτης denuo nos ſuis ſagittis peſtilentiæ ueneno tinctis configere cœperit.* Nihil *minus hoc tempore timemus atq; adeo, quod ad peſtem attinet, in utramq; aurem dormimus ocioſi.* Demiror *autem quis eiuſmodi rumores non tantum falſos, ſed & malignos de Lipſicis ſpargat,* Niſi *fortaſſe ſunt, qui ſcholæ huic noſtræ male uolentes hac arte iuuentutem ab adeunda Lipſia deterrent.* Nam *quid aliud ſuſpicer non habeo.* Homeros, *quos uolebas noſtra cura coëmptos, accipies.* Quod *ſi quid eſt, in quo mea opera tibi opus erit præterea, age poſtula, amicum me in quouis loco paratum inuenies.* Porrò *ne quid mearum rerum te celem, auctus ſum his diebus fortunulis quantuliſcunq;.* Siquidem *benigniſsimus meus Mecænas illuſtriſsimus heros Georgius, col-*

legij in hac ſchola honeſtiſſimi conditione præcipua me donauit, hoc eſt ut barbare loquar aperte tamen, collegiaturam in collegio maiore dedit. Ad hoc deſtinat nobis ſacerdotium tantum, quantum nec ſum meritus nec ambio. Sat mihi uideor diues, utinam ex pari eſſem & bonus & doctus. Bene uale & litteras iuuare perge Lipſiæ, Anno M. D. XX.

T. P. Moſellanus.

DOCTISSIMO IOACHIMO Camerario ſuo amiciſsimo. Apud Acadæmicos, S.

QVando uero mittis ludum Vuittenbergenſium? cupio uidere quid effecerint communis libertatis ſtrenui aſſertatores. Ego Calcographis dedi, & mea ſomnia, iamdudum enim nihil regium geſſeram. Nolebant me ridere homines, Inueni Ioachime uiam gratare Poëtæ, qua me quoq; poßim tollere humo, riſu quæ uirum uolitare per ora. Tu quid ais? placet ne Vorchemio libelli dedicatio? opinor Michaëli dedicatio placebit magis, me uero impenſe iuuat, uel ſic etiam ineptire, ut nulli tandem placeam. Vale. Remitte ſimul, ſi iam non eges, neſcio dicam Ariſtotelis Philelphum, an Philelphi Ariſtotelem? Vtrumq; certe mittes ubi unum uoles, uelut ſimiam cum pſitaco incluſum utrumq; una cauea. Lecturire te aiunt ἀντιβαρβάρους.

10175786

Ἔρρε. *Quid agis uero docturus opuſculum nulli non ſtatim obuium? Ingenium illud tuum, (quantum, tibi non dico) ad alia magis magnifica mihi depoſcebam. Quid ita contemnitis ueteres, ut præter uniuſmodi quædam hic iam pene nihil profiteamini? Tu antibarbaros, ille copiam, tertius Enchiridion, quartus Syntaxin, demum omnes omnia ex una officina, optima illa quidem ac pulcherrima, niſi hæc ſola nunc placerent. An uobis nihil eſt ſcriptorum è tanta turba quod profiteri placeat? niſi è uiuis aliquid decerpatis. Et faciebas tu quidem nouum quiddam declamaturus contra barbaros: Stulticia antea ſtetit in ſuggeſto. Militem nos & item Adamus exarmauimus, fama fit hic & illic nihil ſcire Erphurdenſes ſi τὸν δ᾽ ἓνα ademeris. Vis addam aliquid noſtrate? Qui properant noua muſta bibant. Vide quam libere tecum hæc, quod niſi amarem te uehementer, non utiq; admonerem. Vale mi Ioachime & ignoſce.* Ex Regia.

Tuus Heſſus.

DOCTISSIMO IVVENI Ioachimo Camerario amico ſuauiſsimo ſuo, S.

Non tempero mihi, Ioachime cariſsime, quin ſtatim me tibi expurgem, qui (ut uidetur) amicitiæ noſtræ ius nondum ſatis intelligis, neq;

10175788

iſtud quicquid erat, quod ego paulo licentius, ad te certe, effuderam ut omnia inepte ſoleo. Primum omnium quod me præceptorem uocas tuum quid uult ſibi? & audes tu quidem dicere noſtram te Ironiam intelligere, quæ ſi fuit in meis litteris aliqua, à meipſo mihi facta eſt iniuria, qui ſic incautus ac neſciens Ironias euomere ſoleam. Hoc uero nihil moror, quod nunc te uelut alieniſsimum à Muſis fatcis, nunc in arenam uelut pro capite certaturus deſcendis. Atq; iſta omnia quæ à capite Epiſtolæ tuæ recenſes, uolens negligo. Illud pene bilem mouiſſet: Quod in ultima parte perſuadere etiam mihi uis quantus ſit οὗτος ἐπῆνος in omnibus litteris, uti credam, quem te & bonos omnes amare ſcribis, ego ſcilicet odi, mi Ioachime, iam tibi opinor deſunt argumenta mei in hunc amoris ſatis clara, ſatis magnifica? & profecto neſcio an talia quiſquam adhuc Erphurdienſium ediderit. Hic uero me tibi iacto iterum? miſerum me, ſi & erga te ſic cautum ſic etiam circumſpectum oportet eſſe, ut quicquid ad te ineptiero, ſtatim ſciam reddendam rationem, quare uel uerbo diſſenſerim. Fuit hæc ſtudioſorum amicorum præcipue, ſemper libertas ut diſſentirent inter ſe ubi uideretur cuiq;. Tametſi hoc te moleſte ferre non agnoſco, cruciat tamen ut uideo, quod de antibarbaris ſcripſeram. Qua de re quoniam omnino uis non tam iudicium quam conſilium meum, ſic habeto: Ego, Ioachime, non iſtum modo libellum, ſed omnia quæcunq; ex illo immortali

tali fonte nobis profluxerunt, omnibus huius ætatis monumentis præfero, plurimis etiam superiorum temporum non dubito. Estne hoc tibi satis? Immo puto tantum non uelle. Neq; hortabar uti ab re pulcherrima desisteres, sed monebam uideres etiam atq; etiam quid te deceret. Iam dices scio non decuit ergo hoc me? maxime, erat enim pulcerrimum. Sed ego somniabam nescio quos montes ex media Græcia, quod si somniando quis peccare etiam potest, oro te Ioachime noster, ignosce nunc etiam dormienti, nam & tuus Homerus id nonnunquam solitus est factitare, ut aiunt. Quod dicebam, opusculum antibarbaros omnibus obuium, quid ita uehementer peccatum est: an hoc autoris gloriæ quicquam detrahit? an non existimas me uidisse quod pulcerrimi flosculi in eo libro affatim exuberent? quorum fructu, quod tu uerissime sentire uideris, ne ego quidem satiari possum. Tantum oro, obtestor, obsecro ne in inuidiam me rapias, ut qui tanti uiri gloriam sugillem. Iuro tibi quam possum sanctissime, cum quouis audere me in amando & admirando eum, de quo declamitas, contendere non tecum modo. Ego uero spem tuam mea Epistola (quoniam tu istas nænias Epistolas uocas) labefeci, qua sperabas persuasurum multis te illum uti amarent. Quo me uertam? apud teipsum ne querar? certe quod si uel te ipso iudice caussam meam apud te, ut oportet, agere uelim, non posses non secundum me pronunciare, tantum abest ut meæ quicquam diffidam

innocentiæ. Vide Ioachime quem hominem impetieris, quem tamen nondum manifeſte reum facis. Sed uellicas cautim experiundo ſit ne is, quem tu rapias ad iudicium nactus cauſſam, certe, ſi eam in me deprehenderes, tibi glorioſam mihi inhoneſtiſſimam. Nec illud ſane modice mouit: Quod excuſas te ueteres ſcriptores non contemnere, tanquam iſta ego te labe aſperſerim. Si ſic perges, nunquam tibi deerit in me quod queas accuſare, places hoc nomine tibi, quod talia ſcripta ſapiant, gaudio gratulorq; tibi, egoq; mihi, (oro te ut credas) iamdudum eodem nomine placebam, omnia meæ Epiſtolæ rapis, & torques, ut es aculeatus & eloquens, quo uis ac cædis me meis ſcorpionibus, quos ego certe in hoc non paraueram. Miſſa faciemus deinceps iſtæc ludibria, aliudq; arripiemus excercendorum ingeniorum genus. Candide, Ioachime, ad te ſcripſi, quod ut facerem non deerant qui hortarentur, & tui & mei ſtudioſiſſimi, cum ea res in ſympoſio forte leuiter tangeretur, extra omnem cuiuſpiam nominis iniuriam. Videris uero tu nondum ſatis Eobanum agnoſcere, qui plane his eſt moribus, ut quos oderit fateri auſit, quos amet cum his & uiuat & agat omnia liberrime. Porrò quod ego de Vuittenbergenſibus ſcripſeram, ab alijs auditum referebam, quid ſi Colonienſes nominaſſem? ficus ficus ſcilicet. Mihi placeo, qui talibus etiam Semicarthulis, tantas tamq; bonas Epiſtolas poſſim extorquere. Diſpliceo quod ſic obſcure ſcribo, ut nuſquam intelligatur.

Lege

Lege feliciter Ioachime, quicquid uoles, me utere pro tuo arbitratu, quandoquidem & ego sic te usurus sum, nisi tu non uoles. Studium tuum quod impendisti, mihi defendis? cur ita? quid tales ignículos spargis per totam Epistolam? cruciant me istæ ulcera, quæ pati certe non debui, qui nihil æque probarim unquam ac ista uestra, (oro te sine dicere & mea) Ego si hæc non amo, quid ita curro, ut fontem istum uideam, á quo ista mella deriuantur, quid ista & quorsum ἐγκώμια? ignosce. Vides quid debeas, finem facio nunc. Nondum Epistolæ tuæ satisfeci, satisfaciam breui. De ludo tecum coram, Tu iubes ut hoc ego exémplo utar, quod meo factum est exemplo, quo audies. Scripsi celeriter nec relegi.

Tuus Eobanus Hessus.

DOCTISSIMO IOACHIMO Camerario fratri suo carissimo. S.

OStendit mihi litteras tuas Pectius noster Vorchopolites ut longas ita elegantes, uariáq; ac multiplici tum eruditione tum amœnitate ingenij tui refertißimas, Ioachime carissime, In quibus cum adamarem multa, admirarer plura, unum hoc deosculabar, quod pertesum esse te consuetudinis quorundam & non alienatum in te animum redeundi ad nos animaduerti, nam præter domesticam

10175788

cladem barbaries quoq; neſcio quæ offendiſſe te uidebatur. Exiliebam gaudio, ſtatimq; inceßit huic animo ſpes non mediocris reduci poſſe te ab amiciſſimis tuis, tui Ioachime tam amantibus, ut diu noctuq; non loquantur modo, ſed & ſomnient tuos iſtos amabiles & candidißimos mores, iſtam innocentißime nobiſcum actam uitam, eruditionem eximiam, conſuetudinem nobiſcum dulciſßimam, dum fata Deusq; ſinebant. Verum ut iſta τὰ ϖαύγνια laudatiunculas ſcilicet mutuas, miſſa faciam, per Chriſtum ſeruatorem oro te, Ioachime mi, ſi quoquo modo poteſt tuo commodo fieri, uti ad nos redeas, habiturus nobiſcum conditionem te non indignam. Ego ſiquidem á Vorchemio abiturus nuſquam gentium ſum. Quod ſi hic inualeat etiam illa tempeſtas uiciati aëris Northuſium alioue commodum ſecedemus, Nobiſcum erit & Aperbacchus Petreius, Dracco, Pectius Epiſcopus, Eobanus Poëta (eum enim tu uocas) alijq; uiri boni ſtudioſiq;. Qua tu ſodalitate quid, oro te, putabis eſſe pulchrius ornatiusúe? Velles iſtic uerſari inter tumultus quotidianos, cum quibus quid tandem tibi nato ad litterarum ſtudia excolenda? Igitur te per tuam ſummam humanitatem obteſtor, tui ut rationem habeas, ne patriæ ſumum dulcem alioqui huic luci (litterarum dico) præferas. Sumus & nos λωτοφάγοι, ſint & nobis gramina illa Homerica quibus deguſtatis nuper libentißime nobiſcum deſidebas, ut Circes illas ac Calipſonas taceam quas hic tu amabas. Quarum amæni-

10175786

amænitatum, oro, nihil te reuocabit? Deſæuit iam morbus ille quem timebamus. Caſtella Heßiæ, ad quæ abiturus ego eram, his diebus exuſta ſunt. En tibi patriæ meæ calamitatem, ſed iam non primam illam. Saluta Sigiſmundum Truchſeſium meo nomine reuerenter. Reſcribe quid expectare nos iubeas & uale. Erphurdiæ.

Tuus Eobanus Heſſus.

IOACHIMO CAMERARIO viro doctiſs. amico max. ſuo. S. D.

VIR *optime, Poëta maxime,* τῶν ἰατρῶν, *& neſcio quid non. Fabulæ ſunt, fuci ſunt quibus me aſpergis, ac ſi iam colore proprio me depingere oblitus ſis. Illud uero, amice ſumme, uerum eſt, gratiß. eſt, ſic ſum, ac ne reliquos, ſunt enim ſummi plures, ex eodem ceu gradu deturbem, fio enim nonnunquam tumultuoſior. Per Muſas, Ioachime mi, oro te. Quid mihi cum tua græcolatina Epiſtola, cui ſcis me reſpondere non poſſe, nec ſi queam audere, nam iſta tua ut parca ſunt ſic arrident blanditer, & uelut excitant me, ut idem & ipſe agam, ſed fruſtra chariſſime ſatyrographe. Ego ſic græcor, ut nonnunquam pergræcer, & actum præclare mecum exiſtimo ſi, quæ in libris noſtris* μαλάγματα, συμπλώματα, ἀποσήματα, σκιῤῥώματα, ξώματα,

10175788

ξώματα, & huiuſmodi aliæ mirificæ parum ſane lepide compoſtæ λέξεις ſunt, per ſpeculum intuear, quid ſignificent, talibus uti ad uos ſcribens non uolo non poſſum. Quid urgetis me? uidete potius ne in febres incidatis irato uobis Apolline, qui magis etiam amare me cœpit poſtquam audiuit nuper factum Medico Poëtam, caue tibi, arcum habet, ſagittas habet, uulnerat uero acriter, Iouem non metuit, neq; tuus Mulciber hunc terret, qui ſi uere perdidit nobis illam præclaram germanicæ uirtutis adſertricem ſatyram: Heu mihi quas pœnas Mulciber ille dabit. Quid ſi exclamem nunc ego? Huc huc Pierides date flumina cuncta ſorores, Expirent ignes uiuat Ioachimus ubiq;, precor Iouem, ut iterum in Lembum é cœlo præcipitem deijciat illum deformem & claudum Veneris amaſium; ne huc ire queat toties ut Satyris noſtris ſuam ingluuiem ſatietet. Rides? Ex animo. Redde rationem, nam iſtam non accipio, quid agas, non enim dicam quid egeris cum ſatyra. An neſcis longas R. e. m. Inueniemus te, ubi ubi gentium agas, non effugies iram Regiam. Sed hæc plus ſatis. Quid igitur τὰ προγυμνάσματα? Tu immutato, dicis enim fieri poſſe qui poßit, ego non uideo, niſi uerſus alius reponatur, ſi tu ita uis, προγυμνάσματα, uide qua ratione defendas. Ego in compoſitione græca latinos imitari aliquem poſſe credo. Nam illud, pro, in noſtris compoſitionibus ſæpe inuenitur longum. Riſi cum noſtro Sturtiade, cum uiderem ignorare te, diſſimulare

10175788

ſimulare tamen credo, cuiuſmodi animalia eſſent, Turdus & Murena. In ueſtris montibus Turdus habitat ſpecioſa auicula, ſed magis ſapiens, granis Iuniperi ueſcitur, Annemontani Zymer uocant. An tu ignoras pro Murena Ciceronem egiſſe? pro piſce igitur? quid ad me? tu uideris. Diuerſorium eſt hic eius piſcis nomine inſigne. Iam conjecta quid Murena, uolo enim ſuſpendere te. Iußit ſalutari te Sturtiades. Scribam breui plura. Saluta chariß. Philippum. Capellam omnesq; noſtros. Erph.

T. Eoba. Heſſus.

DOCTISS. VIRO IOACHIMO Camerario fratri chariſs. ſuo.

Moleſtum uobis eſſe ſcribis nihil nos ſcribere, & ceu dilemmate colligis, ſcribendum fuiſſe omnino, ſiue aduerſæ ſiue ſecundæ fuiſſent res de quibus ſcriberemus. Ego uero quid excuſem uix inuenio niſi aurem tibi uellam & admoneam: Optime Ioachime: Non ſumus quales olim tu reliquiſti, Heu mihi quantum mutati ab illis, qui gloriari ſolebamus nec amicitia colenda, nec litterarum officio, nos poſſe uinci ab ullis mortalium, nedum uobis ſemipaganis Vuittenbergenſibus. Ita concidimus, Ioachime, ut memimiſſe queamus fortunæ priſtinæ, ad eandem reſurgere poſſe ſpem prorſus nullam habeamus.

beamus. Sed ne hic quidem elabor tibi, qui ſyllogiſmo tuo cogis fateri, ſcribendum etiam hoc ipſum fuiſſe, nec officioſe nos nec libenter in hac fortuna ſcribere. Fatear igitur culpam? crimen agnoſcam? non me hercle prius quam fidem feceris non moleſtum fore tibi, ſi deinceps quoq; rarius ſcripſerimus. Nam ita tu uelut de multis nobis loqueris, quorum chorus ne gratiarum quidem numerum æquet. Dutem enim & Regem dempſeris. Vacuum relinqueris hoc μεσσεῖον. Quare igitur & quoties ad uos ſcribemus? Deinde uos indies formidabiliores fitis, non nobis modo ſed & orbi, ut quibus omnes omnium rerum maxime uero litterarum diuitiæ, ceu ex cornu quodam perpetuo adfluant, nos contra paupertas ingeniorum ſumma premat. Non mirum igitur ſi tales uos Tyrannos metuimus, qui, ut audimus, non contenti litterarum gloria nos longe uincere, regnũ etiam hoc quale quale eſt, ui adimitis. Sed hic noſtris & copijs & belli artibus plus confidimus quam ueſtram improbitatem metuimus, ſint uobis ueſtræ litteræ, dummodo nos regni arce non deturbetis. Nam ut de te taceam, Capella noſter fulminibus terret eloquentiæ, miſſis tot Epiſtolis, quas contra ne hiſcere quidem auſim. Tu procellis prorſus obruis, Philippi ſancta maieſtas cui non ſtupenda ſit? Neſenus enim obſtinate tacet, quem tu uelim meo nomine roges, ſit ne hoc illi indictum à Pythagoricis ſilentium, Muſæ certe non poſſunt tacere, picas enim aiunt eſſe qua auicula nulla eſt garrulior.

garrulior. Ionas ipse aduenit ut se regi excusaret, quod nos pro nostra humanitate accepimus, uirumq; pulcherrimum uobis remisimus integrum. Porrò quod de uersibus Sarmaticis scribis, ænigmati simile apud me est, fecisses igitur ex officio si transmisisses. Si ego tangor, ut uideri tibi scribis, nihil moræ est, quin in Sarmatas fulminem, tametsi rarius cadant sub tam frigido cœlo fulmina. Sed ego illis semigigantibus Iupiter sum. Itaq; mi Ioachime, da operam, ut uersus istos, quam primum, si queas, habeam. Retulit mihi Ionas noster conatos istic quosdam esse Luthero persuadere, me de reuocanda captiua cogitare. Deum immortalem quid ego audio? non melius norunt Eobanum omnes homines? sed & Ionæ mandaui, & te rogo etiam atq; etiam meam innocentiam perpetuamq; constantiam in adserenda ueritate, apud uirum talibus auris minime fauentem, nec ad tam uanos mendaciorum flatus se commouentem, defendatis. Libellum eius nuper editum unice deosculor ac in delitijs habeo, speroq; futurum ut is liber litterarum nobis studia, improbitate pessimorum hominum male audientia, restituat. Quod in tua ultima ad me Epistola omnino amabiliter salutas Philippi nomine, gratissimum est. Vale mi charissime Ioachime, & sæpius ad me scribito, etiam dum nihil serium sit quod scribas, nugator tamen. Nam tuæ nugæ prorsus mihi nectar sapiunt & ambrosiam. Saluta Val. Capellam, Nesenum, Philippo cum Secerio nostro. (O mi

Ioachime

Ioachime quali uiro, ſcripſi) commenda me Luthe-
ro, cui breui ſcribam , meq; ipſe purgabo falſiſſimæ
calumniæ. Iterum atq; iterum uale chariſſime Ioachi-
me. Erphurdiæ 7. *Aprilis.* M. D. XXIIII.

Tuus Eob. Heſſus.

EPISTOLA EOBANICA IOCOSA.

Ioui Hammoni, Domino Libyes interioris ad hortos Heſperidum. S.

TEmpore Pelopidarum Regum Carmaniæ, cum Hercules Melampygus muſcis ac gigan-tibus ueſceretur: μισάνθρωπος quidam Timon patria Vercellenſis Muſas cum Venere & Cupidinibus ad cœnam inuitauit. Spectaculum tunc in domo Platonis per Deum Socratis agebatur. Ita tum Codrus Corinthius ſaltabat ad numeros, ut arrideret Momus Amathuſius, uento Themiſtoclis à campis Marathonijs & Helleſponto proſpere aſpirante. Quam rem indigne ferentes Aeſculapij Muliones, & ueſparum gens, nuper ex Epiro per Elephantum Pyrrhi Regis aduecta, perturbarunt Athon montem ne Gorgonas amplecteretur. Interim ſubridens Venus alterum oculum Cupidinis proiecit in Ariſtotelem Cynocephalum, tanto impetu,

petu, ut plæriq; Dijs dentes exciderint. Id cum tu-
disſet Vulcanus, conuocato ex omnium Elemento-
rum uacuis regionibus excercitu occulto, expug-
nauit Gryphes in Arabia & Grues in Meſopota-
mia. Adueniens autem Semiramis regina fleuit cum
atomis & Draconibus, uſq; adeo, ut formicarum
turba ingens Heſiodi Poëtæ ſupellectilem deuora-
ret. Erat id temporis mulier quædam nomine Ano-
nyme, ea, ut ſpretam ſe animaduertit, ab umbris
& nebulis, & tota phalange Sminthei Apollinis,
egreſſa foras ſuſpendit Hymenæum Troianum in
Labyrintho arbore Bactriana. Cui illudentes picæ
feſtiuiſsimæ uolucres in Babylonia, uenerunt ſalu-
tatum Berecynthiæ materteram. Tunc Iuppiter
ſtator, Romæ cenſum, ſub Papirio Prætextato,
ægit. Cenſa muſculorum D. M. Boum nihil. Lanæ
Caprinæ ad C. M. pondo. Habes quæ cognoſci in
præſentia potuerunt, ad tua tam mirifica, quæ non
ſolum mihi ſcripſiſti, ſed iuſsiſti etiam nunciari, ut
plane intelligerem te nouarum rerum eſſe cupidum.
Nam ad ea quæ ueluti minitaris, quod attinet, ſi iſta
parum efficacia fuerint, expectanda tibi ſunt alia
fortiora remedia: quale iſtud eſt, quo te olim angi
animaduertimus:

Ne rapias rabulis prandia glauca meis.

Et:

Ante tuos ſaltat garrula ſella pedes.

Et:

Anſer Arabs græca ponitur in patina.

Cauebis igitur & ualebis.

Hæc autem ad te, antequam Tithoni cubile cimices Phoronei *inaurarent, ut perſpiceres oppoſitis auribus Adamantinis ſpecillis, exarata ouium, ut uides, Indicarum membranis, perferenda dedimus uecto per aërem myoparone colubrino Mercurij amanuenſi. Nam ipſe Merc. talaria ſarcienda dederat Minernæ, & petaſum amiſerat in cœna heſterna apud Aethiopas in Scythia. Quod ſi iſta contemſeris, intorquebuntur tibi ſcorpionibus coruſcis iritamenta Leonum, & tela Typhoea Ranæ. Datæ in Inſula Oniropoletica apud Vmbripedes: Cum nihil eſſet quod agerem, & non poſſem nihil agere, & nihil agerem aliquid agendo, & nihil agendo hoc agerem. Sed uale. Deſino enim, ut quieſcendo fiat anima ſapientior, ſecundum Ariſtotelem tuum. Cui uide ne abripias naſum mordicus. In hunc enim te iam ferunt incumbere, decerpentem mala aurea* κατηγοϱιῶν.

Quibus caue petaris tu ipſe:
Ne Perimedas deglubant oſcula lintres.
Ante Pelethronij deuicta papauera Thunni.

Sed uere iam deſino. Valebis igitur iterum atq; iterum. Vale. Vbi ſupra.

Τ. ἑαυτῇ.

PRAESTANTISS. VIRO D. Euricio Cordo Medico ac Poëtæ, amico immortali suo, apud inclitum Brunonisuicum. S.

AD 17. Cal. Decembr. *litteræ tuæ mihi sunt redditæ*, Corde *suauiss. quibus conditionem hanc mihi, & in paulo meliorem factam prioris fortunæ commutationem, ex intimo, sic enim scribis, corde gratularis, uiderisq; subuereri, ne id parum tibi credam, nisi per salutem etiam tuam iures. Atqui ego, mi* Corde, *si nunquam dubitassem de animo in me tuo, profecto nec id dissimulanter habuissem, nec tu potuisses ignorare, ulla in re alienatum abs te* Eobanum. Proinde *charissime* Corde, *nihil est, quod eam in partem anxius sis, ne amicissimo animo scribenti tibi parum á me fidei habeatur, á quo nihil unquam tota uita, ne secretissimarum quidem rerum secreui. Verum ista missa faciamus, indignum amicitia nostra existimantes, in ea caussa adstruenda inuicem laborare nos, quæ omnium maxime firma constare inter nos debet. Venio ad alteram partem litterarum tuarum, qua admones. Etiam atq; etiam uideam, quo in loco, apud quos homines sim, quam personam sustineam. Agnosco atq; amplector animi tui candorem & fidem neutiquam fucatam. Sed ego, mihi crede* Corde, *si istis adhuc admonitionibus egerem, sero quidem tu admonuisses, Quanquam nullum beneficium ab amico*

profectum ſerum uideri debeat. Eſt enim loco magni beneficij apud me, tua pro mea exiſtimatione, &, ſi hoc uerbum admittis, dignitate ſolicitudo. Ego, ex quo die Noricam urbem ſum ingreſſus, Erphurdienſibus quibuſdam moribus adeo fortiter & conſtanter renunciaui, ut ne mediocriter quidem ineptum unquam me quisquam uiderit, donec inter hos homines uiuo. Nam & olim, ut ſcis, uix inter homines. Sed huiuſmodi ingrata ſunt. Itaq; breuiter hæc ad iſtam tuarum litterarum partem reſcripta ſunto. Non libet ſæpe meminiſſe, quales aliquando fuerimus, cum proſpiciendum magis ſit, quales eſſe nunc deceat, & præterita facilius repræhendi poſſint quàm corrigi, ut ait Liuius. Potiusq; dandam nobis operam exiſtimo, ut quales fuerimus poſteri admirantes intelligant, ſi præſentibus, quibus cum uelis nolis uiuendum eſt, probare nos non poſſimus. Quod autem uereri te ſcribis, ne ex hoc quodam quaſi faſtigio fortunæ te incipiam contemnere, id cuiuſmodi ſit, non intelligo, cum nondum tanta ſit hæc fortuna, ut capi eius magnitudo à me non poſſit, nec ſi tanta ſit, propter eam tu debeas credere naturam me poſſe amittere, quam ne furca quidem poſſis ſemper recurrentem prohibere. Ego te contemnam, Corde? quem ſemper feci maxime. Cum quo pene eiſdem principijs Iuuentutis educatus, & tantũ non eiſdem cibis enutritus ſum. Quem ſi nihil aliud, tamen eadem patria & communium ſtudiorum uinculum arctiſſima neceſſitudine mihi copula-

10175788

copularent. Itaq; , mi Corde , ſecurus in poſterum eſto de amoris erga te tuosq; omnes mei conſtantia ac perpetuitate. Et cum deinceps ad me ſcribes, illius rei tam inuiſæ nobis caue mentionem feceris. Vt audeam litteras tuas amicis omnibus oſtendere. Nam proximas has non oſtendere certum eſt. Neſciunt enim ex magna parte hi homines , talibus ludibrijs aliquando nos aſſueuiſſe. Quapropter , ut uidere potes, periculum eſt , ne tu me infames talia ſæpe ſcribendo, Sed hæc iocatus ſum. Quod ad cantilenam tuam, quam incluſam litteris tuis miſiſti , attinet, dabo operam ea ut exeat , quoniam ita uis, ſparſa in omnes angulos. Exempla qui poſſum cum tabellario præſente? cum is craſtino die abiturum ſe dicat , & dies hæc ſit Dominica. Mittam uero, quamprimum occaſionem aliquam ero nactus. Nam expreſſum iri non ambigo. Ioachimus modo hinc aberat profectus Vuittenbergam , adducendi huc Philippum cauſſa. Cuius ego nunc locum & uicem ſuppleo. Verſat ille quædam animo , quæ opto ut ipſi & nobis feliciter eueniant. De quibus ſcribendum non eſt. De anſeribus tuis ad ſolis fontem, uel, ſi mauis, ad Soliſontium , uel ſi hoc mauis παρὰ τὸ ἡλιοπρήνιον paſcendis uehementer riſi , repetens memoria, quæ olim ioculariter ſolebas effutire. Mi Corde, quid eſt? quod tibi tantopere diſplicent iſti homines, uel ſic ut tu ſcribis, iſta ſaxa. Vide ut ne uiciſsim mihi commonendus ſis. Vereor enim ne iſtic quoq; ſis ἐπιγραμματοποιὸς , & laceſſas iſta

10175788

ſaxa dura & intractabilia, quæ, rogo te, quis ſapiens demordeat? niſi qui dentes perdere uelit, & in uulnere ipſo relinquere. Sed hæc pro tua prudentia, tu recte ages omnia. In Epigrammatis tuis, gaudeo frequenter fieri, id quod indicas, mentionem nominis mei, mi Corde: rogoq; te ut hoc, quod facis, ſemper facias, nec committas, ut quemadmodum loco ſumus ita animis quoq; diſiuncti fuiſſe uideamur unquam. Ego quoq; tui non ero immemor, in his quæ hic edere conſtitui. Quorum quædam ad te etiam nunc mitto, quæ tamen eiuſmodi non ſunt, ut nomenclationem annorum poßint recipere. Videbis autem & ridebis ridiculam rem, quæ hic mihi tanto, ſi Dijs placet, Poëtæ contigit, ut abundarem pedibus. Quæ res uides quam pene mihi fucrit conuicio recognoſcenda. Erat hic quidam, qui ex ea re calumniæ locum nactus, ſicut uides, mihi fuit repellendus. Quod niſi feciſſem, futuri erant, qui eam rem nequaquam inultam paterentur. Sed hoc ridiculum. Illud ſerium: Quod hic editurus ſum cum Idyllia, tum alia quædam huic urbi non indecora, quemadmodum homines exiſtimant, futura. Saluta uxorem tuam, & meo & reginæ Thrynes nomine. Cui gratias ago, quod gauiſa eſt, cum audiſſet, honorifice me á Noricis acceptum. Facile credo. Nec dubitaui unquam, quin honeſtißima matrona ex animo mihi ſemper quam optime uoluerit. Cur enim aliter uellet, cauſſæ nihil habuit. Niſi forte commemorare libet, quoties ego non fuerim Eobanus.

nus. Sed hæc alias. Hunnus noster circa Iacobi integrum octiduum mecum fuit, hac Viennam proficiscens, à quo tamen ex eo tempore nullas accepi litteras, cum bis ipse scripserim, nec mirari satis, quid in caussa sit, possum: Viuat ne an mortuus sit, equidem uehementer sum solicitus de homine amicissimo. Scribam ad te, si quid accepero. Dissipatio ista tam multorum amicorum, qui aliquando una uiuentes familiaritate & humanitate mutua suauissime fruebamur, non potest mihi non tristissima accidere, diuolantibus nobis sicut auiculæ dispulsæ solent. Sed ferendum etiam hoc incommodum est. Quod ad me attinet, bene ualeo cum uxore & liberis tribus, sed quartum fœtum ipsa nunc gestat uxor. Credo scire te, quo stipendio hic doceam diebus singulis hora duntaxat, una, nempe aureis. CL. Præter id quod à conuictoribus & discipulis poterit in futurum accedere. Nunc enim duos tantum mecum habebam, habiturus ad æstatem plures. Sed hic, mi Corde, cara sunt omnia, & habitatur carissime. Ego in ea domo, in qua nunc sum, magna pensione habito. Sed eam mutabo & fortasse habitabo carius, ut possim commodius, propter plura conclauia, cum hæc nisi unum habeat. Ego parum Medicinæ, ut ceperam, uacare possum. Sed non deseram tamen inceptum, & iam in eo sum, ut libros coëmam quàm optimos: Nullum fortasse facturus operæprecium, tamen, ut dixi, in incepto persistam, quantum licebit, perseuerantissime. Vale, mi Corde,

10175788

nec dubita ſic amari te à nobis, ut neminem magis. Gratiſſimum eſt, placere te tuo principi. Vtinam queas commodum reliqua Nicoli *ad me tranſmittere. Dux noſter, quemadmodum aiunt,* Epiſcopo Herbipolenſi *ſeruit. Iterum uale.* Norimbergæ *16. Cal.* Decembr. Anno Chriſti *1526.*

T. Heſſus.

D. EVRICIO CORDO MEdico & Poëtæ doctiſs. Amico ac fratri chariſs. ſuo. S.

SCripſeram heri ſimulq; iam tradideram ad te Epiſtolam, *ut longam ſatis, ſic uehementer ineptam, mi* Corde, *cum ob alia permulta, tum hoc, quod in aſcribendis temporum indicijs, erraſſe me poſtea dum memoria repeto, intellexi.* Non enim *tuæ mihi redditæ, ut ſcribebam, erant ad 17.* Cal. Decembr. *uerum ad 16. & ego ad 15. ſcribebam. Itaq; ſatis purgatum tibi hunc errorem, præſertim leuem, exiſtimo, dum agnoſco. Heri hic ego apud bibliopolam* Cobergum *fui, eo animo, ut cum in humanioribus diſciplinis, (à quibus ſcis, quàm non poßim ullo pacto, temporumq; aut hominum iniquitate abſtrahi) tum in re* Medica *libros coëmerem mihi, non quidem uulgares illos & barbaros* καὶ δυσμετα χειρίστους, ἀλλὰ πάνυ δεξιούς τε καὶ εὐπροσίτους *hos, & utiles, & de corpore,*

quod

quod dicitur, non de umbra Medicinæ: Galenum & Hippocratem: Nam uterq; extat & Græce & latine. Verum respondit bibliopola, nondum habere se, habiturum intra menses duos utrunq; utraq; lingua. Tum ego quærebam, quanti crederet Galenum integrum Græcum coëmi posse. Respondit ille, Galenum quidem ualde magno, esse enim partes plures, Hippocratem uero minoris, sed latine utrunq; pecunia parabili. Iussitq; expectare me donec Venetijs libri adueherentur. Quod faciendum mihi existimo, nec enim aliter possum. Hippocratem sane nuper uidi Latinum factum ab Andrea, nescio quo, cognomentum enim excidit, Romano, Romæ expressum. Eum librum aiunt duobus aureis posse emi. Galeni quicquid iam est translatum in latinum sermonem, hodieq; transfertur, in unum coaceruatum uolumen proditurum breui ferunt. Solicitus expecto tantas diuitias Matronæ nuper adeo tantum non mendicantis, Medicinæ dico, quæ, quia adeo his temporibus excolitur, & quasi ab exilio diuturniss. reuocatur, quis non amplectatur natiuo colore cultam, & suis iam tandem incedentem uestibus? Nempe, quia tota Græca est, uides scilicet Græcam linguam nobis, uel sero, perdiscendam esse. Etsi Latinus quoq; est ornatus illius egregius. Sed quid hæc ego? quasi uel possim uel debeam prouocare te. ὃς ἕτερον ἔτος ἑλληνίζω, non nimiũ proficio, adeo multum est in teneris assuescere: Cum habeam quidem assiduum & fidelem tam instigatorem quam

adiutorem Ioachimum nostrum. Infelicem me, cui non licet, quibus nunc maxime solis uellem, uacare studijs, cuiq; multa simul agenda sunt. Cui primum, quod commune tecum mihi est, uxor, liberi, resq; domesticæ non paruas molestias, litterarum præsertim studioso, afferunt. Deinde pueri priuati fidei meæ commissi, curas etiam augent. Huc accedunt litterarum studia in diuersiss. partes mihi distrahenda. Nam quia publice in schola doceo, Virgilium modo explicans, ea dicenda sunt, quæ & maiestatem tanti Poëta deceant, & meam existimationem, & hominum de me opinionem non minuant. Quam uero ea laborioſe sint conquirenda, non ignoras. Nam cum sint hæc tempora, quod libris abundent, in omnibus litterarum generibus oculatiss. contemni solent, si qui quid ignorent eorum, quæ uel alibi scripta legi, uel ab alio dici possent. Tum Græca, uelis nolis, non uulgariter tenenda sunt. Domum reuerso repuerascendum pene est, & redeundum ad Grammatica, tametsi ea res me non multum torqueat. Deinde, Corde, quid existimas? cum fere quotidie litteræ ad me doctiss. in Germania hominum perferantur, quibus utiq; respondendum est. Et excercent me quidam, inter quos & noster chariss. Ioachimus est, uehementer scribendis carminibus, adeo, ut hac æstate, dum Norimbergæ sum, plures uersus scripserim, quam Erphordiæ integro quadriennio. Et inter hæc non est intermittendum rei Medicæ studium. Sic nobis laborioſe

10175788

rioſe uiuendum, ut uiuamus, eſt. Hæc noſtra ſors eſt. Non miror principum, etſi paucißimi hoc genus ſunt, ingenia, quibus curis procul poſitis liberis eſſe licet, in quæ uolunt omnia: Inter hæc, Corde, adhuc ne exiſtimas me? Sed finem facio. Quanquam plura uellem. Habes tamen, ſicut uolebas, uerboſas litteras, ſed mallem ueras audire & reddere uoces. Quod utinam fiat aliquando. Vale Norimbergæ 13. Cal. Decembr. Anno Chriſti 1526.

Tuus Eobanus Heſſus.

DOCTISS. VIRO D. EVRICIO Cordo Poëtæ & Medico, amico incomparabili ſuo. S.

MItto quæ ad manum forte habebam è meis nugis, mi Corde, non ideo quia te magnopere his delectari credam, quanquam tu ſolebas: meas eſſe aliquid putare nugæ: Sed ut, cum Epiſtola nulla, ſatis id poſſem conſequi, oſtendam hoc ceu pignore, gratam mihi fuiſſe tuam quantumuis breuem Epiſtolam. Te rogo uti uiciſßim tua mihi mittas epigrammata, idq; prima quaq; occaſione, potes enim ſi uoles frequentes ad me habere tabellarios. Non enim tam auerſus equos noſtra Sol iungit ab urbe, nec tam ſumus extra Germaniam ſiti, ut nulli etiam ex iſto angulo ad nos aliquando curſitent. Ne uero

id ægre

id ægre feras quod noſtram patriam huius urbis comparatione angulum appellem, ſcito & hunc quoq; angulum quendam eſſe ſitum in ſylua Hercinia adeo infructiferum ut præter arenas ſteriliſſimas nihil fere gignat, quanquam hæ arenæ ex Tago ſunt opinor, ita ſunt totæ aureæ, ut non modo fruges uerum etiam crocum, piper & nihil non aromaticorum ferant puluerum. In ſuperioribus litteris, quas diligentius obſignaui quam ſcripſi, quædam inſunt quæ tu ſolus leges, & lecta ſtatim concerpes mi Corde. Nam ego tui & communis patriæ amore, etiam ſum ineptire coactus, ſed tecum, quem ſcio gaudere meis ineptijs. Velim autem quamprimum poſsis mihi reſpondeas. Saluta meo nomine Iohannem Lonicerum, cuius quædam uidi nuper è græco in latinum ſermonem uerſa, interq; alia Pindarum, quem utinam uerſu nobis potius & ſuis numeris reddidiſſet. Sed fecit quod debuit, & minus fortaſſe etiam quam potuit, uir doctiſs. qui maluit utilitati publicæ fortaſſe magis, quam ſuæ gloriæ conſulere, quanquam ne ſic quidem male conſultum eſt famæ ſplendidiſsimæ. Breui ad te mittam libellum meorum Epicediorum, de quo alijs ad te ſcripſi litteris, iam enim ſub prælo erat necdum abſolutus. Saluta D. Hermannum Buſchium meo nomine plurimum ac reuerenter. Item D. Iohannem Schneppium ſi ad uos ille redijt, cum quo Auguſtæ familiaritatis initia ſum auſpicatus. Saluta iterum uxorem tuam Reginæ nomine. Quæ toties hæc ſcribenti

10175786

benti obganniebat, uti & tibi & uxori ſalutem ad-ſcriberem. Vale mi Corde, tibiq; perſuade te mihi ſic eſſe charum ut charior eſſe non poßis. Ex *urbe Norica.*

Tuus Heſſus.

D. EVRICIO CORDO ſummo ſuo. S. D.

NON *dimitto quenquam quem ad te peruen-turum puto, ſine meis litteris.* Et *habes binas noſtras immo ternas, ſcriptas & datas intra dies paucos, ſi quidem accepiſti. Quod iam deſideras no-ua, quæ reſciſcas me indicante, ſcito neq; me in co-gnoſcendis rebus alienis eſſe curioſum, neq; multa iam hic narrari. Quæ potui comperire de* PP. Cle-*mente* VII. *alijs noſtris adiuncta ad te miſimus. De Cæſare credo plura iſtic quàm apud nos dici, quod ſi fortaſſe hic quoq; aliqua, ad me ex ijs pauciſ-ſima perferuntur. Vtinam uerum ſit quod ſcribis. Sed metuo ne illud monſtrum nondum ſit tam infe-lix, ut talem & tam potentem hoſtem habeat. Illud quidem certum eſt, & apud nos, & paßim circum uicina oppida mandato Cæſareo uetitum, ne mili-tes conſcribi ſinantur, quæ illuc ducantur. Gallum aiunt iterum Mediolano potitum. Turca in regnum redijt, & retro abijt, itaq; de eo conquieuere rumo-res omnes. Noſtri Ciues urbem hanc egregie mu-niunt,*

niunt, quotidie ingente fabrorum manu operibus incumbentibus. Credo ſperoq; ego inexpugnabilem fore, protegente quidem Deo æterno manu ſua. Reſcribe omni occaſione. Et bene uale, Tuq; tuiq; omnes.

Eobanus T.

OPT. VIRO D. GEORGIO Hopello amico ſummo ſuo. S.

TVus amor erga me, mi Georgi, ſæpe multis clariſſimis ſignis, mihi cognitus eſt. De meo autem diſceſſu te ſolicitari intellexi ex Ioachimo noſtro. Hic ſi remanet, non multum detrimenti fiet migratione Eobani. Credas autem mihi non geri negotium meo arbitrio. Hanc in me humaniſſimam & benigniſſimam cuitatem, nullo modo deſererem:

Me ſi fata meis paterentur ducere uitam
Auſpicijs, & ſponte mea componere curas.

Sed ne ſic quidem deſeram, quamuis corpore abſcedam. Reſidebit enim hic animi affectio grati atq; memoris perpetuo. Non ſunt autem tibi ignotæ res meæ tuo adiumento ſæpe ſubleuatæ. Et nunc ubi hæream, non te clam eſt. D. Spengelero ſcribam, & huic præcipua mea curæ fore non dubito. Tu expedies reliqua. Poteris enim, ſicut mihi perſuadeo. Scio quæ ſit tua auctoritas apud eos, penes quos.

Intelligis

Intelligis quid uelim narrare. Ioachimus propter familiaritatem, & nescio quæ alia, ueretur ne parum apud illos possit, & hoc ad alia potiora utendum est. Itaq; nunc ad te deuenitur. A nobis quæ ferunt uires facultatesq; nostræ præstabuntur. Orphei carmina feras bestias mouisse perhibentur. Nostra non illa quidem tam egregia quam Orphei, sed alicuius tamen momenti ipsa quoq;, utinam mouerent homines. Poterimus aliquid memoriæ addere illius, cuius modo hæredes aduenisse dicebantur. Licet istam operam, & aliam quoq;, si uidebitur, eis offeras. Erga te autẽ is sum futurus, ut te nequaquam pœnitere possit coniunctionis nostræ. Vale, & studium tuum mihi hac in parte tribue. Qui cumulus non paruus prioribus tuis beneficijs accedet.

Eobanus T.

HVMANISS. VIRO D. LAzaro Spengelero patrono & amico perpetua fide colendo suo. S.

QVæ heri per nostrum Ioachimum tecum egi, uir humanissime, illa, rogo, ut eo modo, quo es policitus, hodie exequaris. Nam res meæ uix patiuntur ullam dilationem. Est uero magna spes in bonitate & fide erga me tua, quæ nunquam me est frustrata. Et debeo tibi multo plus quam referre

ferre poßim gratiæ, pro ſummis & immortalibus tuis erga beneficijs. Sed ſenties me non ingratum, quocunq; terrarum fortuna me abripiat. Tibi ac amicis alijs, quos in hac clariß. ciuitate uere amicos expertus ſum, debitor ero, & obnoxius perpetuo. Et hanc ciuitatem, quæ me in ſummo ſemper honore habuit, & ſingulari erga me liberalitate uſa eſt, apud omnes homines, quantum in me erit, laudibus feram, ac celebrare nunquam deſinam. Ne exiſtimes ſimul animum meum cum corpore hinc deminigrare. Nam etſi fortuna corpus auferat, animum certe nulla unquam uis fati, nulla fortunæ iniuria á uobis auellet. Verum hæc alias. Nunc te rogo optime Spenglere, præſta iſtud poſtremum hoc tempore officium amico. Abſolue beneficia tot in me tua, & hanc rem, quam nunc agimus nobis expeditam effice. Meam conditionem, meas fortunas, meam hoc tempore neceßitatem optime nouiſti. Multa urgent. Inſtant creditores. Alia, quæ modo etiam ſi abeundum non eſſet, erant ſuſtinenda. Mitto libellum á me nuper Latinum factum, uelut ultimum in hac urbe profeßionis meæ opus editum. Valeuir humaniß. 6. die Menſis Aprilis, Anno Chriſti M. D. XXXIII.

Vere tuus Eobanus
Heſſus.

Opt.

OPT. ET CLARISS. VIRO D. Danieli Stibaro Canonico & Iudici, &c. amico & patrono charisſ. ſuo. S. D.

Commendo tibi, opt. Daniel, hunc Iuuenem uel puerum potius, iam biennio mihi familiarem atq; etiam charum, rogoq́;, ut ſi illi tua, qua es autoritate, prodeſſe queas, facias, non ſolum propter meas preces, ſed plane, quia pauperculus eſt, propter Deum. Id quod facturum te confido. Eſt enim mihi ſingularis tua bonitas iampridem notiſſima. Satis quidem de hoc nunc. Supereſt, mi Daniel, ut eam amicitiam, quæ inter te Ioachimum & me, bonis, quemadmodum ſpero, omnibus cœpta eſt, ſic colamus, ut nos neq; tu tantus uir, neq; ego talis houuncio, quicquam alter de altero conqueri poſſimus. Hoc ſi facies, mi humaniſſ. Daniel, facies opus & tua nobilitate, & mea fiducia dignum. Si quid reſcribere mihi dignabere, dabis huic meo domeſtico famulo, quem ego commendatione olim Guilelmi noſtri loco liberorum enutrio, foueo, amplector. Nam totam mihi fere Homeri Iliada à me in latinos uerſus translatam, deſcripſit. Noſter Ioachimus ad me ſæpe & permulta ſcribit. O uirum egregium. Credo uero ad te multo plura. Nam amat unice, quod iam non primum intelligo. Vt finiam: Si huic puero boni aliquid feceris, mihi fa-

10175788

Eum putato. Quod ad me attinet, mi Daniel, uiuo pristino more, hoc est: bibo, scribo, quiesco. Quid uis amplius? Eobanus sum, cum tu nouisti satis. Apud nos nihil præcipue noui est, nisi quod ille noster decoquit egregie. Factiones nullæ sunt, quas sciam. Vale mi, si pateris, chariss. Daniel, & Eobanum tuum redama. Datæ Martipurgi 6. die Mensis Septembr. Anno Christi 1538.

Vere tuus Eobanus Hessus.

VALENTINO CAPELLAE opt. artium Magistro. S. D.

PER nostras Musas, quas ambo colimus, per hæc studia quæ excercemus, per quicquid aliud debeo & possum, te, mi Capella, oro, ut, quod commerisse te hesterno uespere resciui, tecum habeas, neq; me indices. Sperabam neminem omnium fore, qui me agnosceret ita ornatum, præsertim noctu ad lumina. Est autem τὸ παρακίνδυνον audax, ne dicam temerarium. Scis quàm seueri uel etiam sæui sint illi, quibus hoc tempore, propter petitionem nostram, summa in nos potestas est. Valde me terruit hodie nuntius. Cum enim uix è lecto surrexissem, uenit mane ὁ τῶν δοκιμασῶν ὑπηρέτης, & magno impetu pulsauit fores nostræ habitationis, & intromissus: Iuberis, inquit, adesse statim. Non erat illa dies mea. Itaq; interrogaui, quid rei negos-

negotijq; eſſet. Ignoro equidem, inquit ille, ſed conuenere ἐι πέντε, & tuum aduentum expectant. Dic, inquam uerum. ἔχομεν δὲ ὑποτιθασὸν μικροδοσίας τισὶν αὐτὸν. Affirmauit ſe neſcire. Acceſsi ſane timide. Verebar enim, ne quid de heſterna iuuenili ſtultitia mea cognouiſſent. Sed de oratione, quam ὁ πεντέπρωτος habuit, ſtatim intellexi non factum eſſe certum indicium. Itaq; reſpondi confidenter, & quædam obiecta diluendo ſtrenue cõfutaui, & ita ſum dimiſſus ſic ſatis benigne. Hanc igitur gratiam ne quid diminuat, mihi opera danda eſt, & caute atq; circumſpecte agendum in omnibus. Illa autem gratia effunderetur tota, ſi palam fieret τὸ χθεσινὸν παράπτωμα. Fortaſſe de loco me laborare exiſtimabis. Ego uero, ut non contemno iſtud decus, ſic non admodũ curo ubi collocer, quod, ſecundum Laconis illius dictum, ſperem me loco potius, quàm mihi hunc, ornamento futurum eſſe. Quamuis autem res neq; magna, neq; peccatum graue ſit, tamen acciperetur comperta ab illis in deterrimam partem, & mihi noceret. Plane igitur Harpocratem ages. Id quod de tua erga me beneuolentia mihi equidem perſuadeo, ſed rogando tamen etiam obtinere duxi eſſe melius. Vale & fruere hilaritate, cuius participem me eſſe hoc tempus non ſinit.

IOACHIMO CAMERARIO iam inter funambulos progredienti ad honores. S.

CVR *tibi uero tu à me tantopere metuis, & meum indicium pertimeſcis? At nulla anus garrula me taciturnior eſt futura.* Nondum *libero te ſolicitudine?* Ne æs quidem Dodonæum *ſilentio me uincet.* Iam *trepidas magis? Verum tu caue de mea fide dubites.* Non *muſitabo,* ἔξω δ᾽ ὡς ὅτε τι σφρὴν λίθος ἢ σίδηρος, ἵνα καθομηρίσω σὲ ὁμηρικώτατον ὄντα, *id eſt, quod ad iſtud tuum magis ridiculum quàm animaduertendum factum attinet plane mutus ero.* Neq; *fuit opus tua uel petitione uel admonitione.* Vltro *facturus id fueram, de quo adeo laboras.* Noui *iſtos.* Non *ignoro periculum.* Sum *expertus nuper adeo diſcrimen, cum in eadem iſta palæſtra deſudarem.* Fac *igitur, quod ad iſtam rem attinet, tam in ambos oculos quàm utramq; aurem (ut utrumq; uſurpando magis te confirmem) ocioſe dormias.* Non *is ſum, qui nocere ulli libenter ſoleam.* Et *ſcio tacere tacenda, & loquenda loqui.* Horum *igitur ſecurus, illa agito quæ ſunt in manibus.* Me *quidem, dicam enim uerum, cum* Epiſtola *tua redderetur, nonnihil perturbari ſenſi.* Veniebat *enim mihi in mentem, de alia re abs te ſcribi, & urgeri promiſſa mea. Quorum non ſum profecto immemor, ſed parum adhuc promouetur ſedulitate, & quadam etiam importunitate*

10175788

tunitate mea. Celeriter obliuiſcuntur plæriq; beneficiorum. Alij aliud excuſant. Sed eſt res tamen eiuſmodi, ut negligi nullo modo debeat, non tam tua cauſſa, quàm aliorum, & uero communium ſtudiorum. Quæ indies fiunt minoris. Et de quorum profeßione atq; doctrina recordor, quid ille noſter Theologus cenſuerit & ſuaſerit. Crede mihi rem iſtam curæ futuram eſſe. Siue aliquid proficiatur, tibi proderit. Siue nihil proficiatur, tu id tamen ipſum quoq; pro tua non ſolum humanitate, ſed quadam etiam animi magnitudine æqui boniq; facies. Vale.

Capella tuus.

IOACHIMO CAMERARIO S. chariſs. Antonius, ſiue Niger ſiue Nigrinus, ſiue Melas.

HOc, quod nunc mitto carmen, chariß. Ioachime, nuper ſcriptum fueram tibi miſſurus, de re illa mihi longe iucundißima, agendarum fabularum, & litteratorum ludorum. Quo minus autem tunc acceperis, & tempus obſtitit, quod ipſe triſte fuiſſe noſti, & alia quædam impedimento fuere, de quibus præſtiterit colloqui, quam mentionem facere ſcribendo. Addidi autem his alterum quoddam carmen, effuſum à me extempore. Vnde poteris capere de meis cogitationibus fortaſſe &

10175788

consilijs coniecturam. Quando enim mihi hic con-
sistere non licet honorato, Quærenda scilicet alia
sunt loca, quæ me non respuant. Quod autem fieri
necesse est id si libenter facias, in exequendo labo-
rem reddideris leuiorem. Sed de his coram. Nunc
te ad uersus meos dimitto.

ANTONIVS NIGER
Ioachimo. S.

LAus Ioachime tuæ et decus haud uulgare Iuuen-
Et simul Aonij pulcher alumne chori. (tæ,
Nomine multiplici præconia summa mereris,
Blanditias istas sed male ferre soles.
Non etenim elogijs assuesti dulcibus, ultro
Nec surgunt cristæ, nec tibi pulcher homo es.
Non tua te uirtus uentis bullantibus effert,
Cum te non cesset gloria uera sequi.
Parce quod à cultu te littera nuda salutat,
Temporis utq; legas reddere inepta moram.
Quicquid agis nobis aliquid concede proteruis,
Est aliquid quod fert nostra camena noui.
Aspice ut accelerent tepidi bona tempora ueris,
Pectoribus cum lux corporibusq; uenit.
Quid nobis censes imprimis esse gerendum
Siue quid inceptu conuenit esse prius?
Certe aliquid Latijs scenis lusisse decebit,
Stent iterum ut uelis tensa theatra nouis.

Ac

Ac licet hi luſus oculisq́; animisq́; parentur
Attamen eximij muneris inſtar habent.
Siue Epicharmei arridet tibi fabula Plauti,
Cui lacero Medicas ſcis adhibere manus.
Macte animo, laudi tibi res eſt iſta, laborq́;,
Hac fama eſt opera clara futura tua.
Quæ ue fluunt facili filo bona ſcripta Terentij,
Quem probat artifici ſcena diſerta ſtilo.
Vis & in Auſoniam Græcanica ducere ſcenam?
Hoc iſto poterit nil placuiſſe magis.
Sic tandem miſeras Muſas iuuaſſe licebit,
In lucem ut redeant quæ latuere diu.
Affectis male ſic aures oculiq́; dolebunt,
Conuenit hac nobis ultio nulla magis.
Crede mihi ratio magis haud eſt commoda uitæ,
Quam per ludum aliquem poſſit ut eſſe ſalus.
Vber & hinc ueniet ſtudioſa in pectora fructus
Et ſata cum multo fœnore reddet ager.
Hæc erit ingenuis ſtudijs præclara palæſtra,
Ad ſacrasq́; per hanc eſt uia Pieridas.
Illa ſtatum finget, mores geſtusq́; decoros,
Hæc potis eſt uires ingeniumq́; dare.
Adde quod hic quiuis ſe parte recludit ab omni,
Et bene quid poſſit, quilibet, inde patet.
Cognita quæ nuper ſunt pectora Muſica nobis
Non eſſent, iſtud ſi latuiſſet opus.
Quo minus intermitti ignauo pectore debet
Innumeri Oceanos res habitura boni.
Sed quid opus dudum, tibi talia dicere, gnaro?
Hæc nobis melius ſcilicet ipſe tenes.

10175788

Quid doceo doctum? fluctus quid in æquora uoluo?
Ismarijsue nouas saltibus addo comas.
Iam felix esto, Musarum blanda uoluptas,
Et bene cum studijs uiue ualeq; tuis.

ANTONIVS IOACHIMO
S. amico summo.

En blanda Zephyrus salutat aura
Terras, atq; putres agros resoluit
Riphæis niuibus diu sepultos
Constrictos glacie, asperos pruinis,
Primosq; occiduis leuans ab oris
Venit flamine molliente campos.
Nunc rident uario colore prata,
Flores multiplici decore surgunt
Plumescuntq; comis placentq; siluæ,
Ditescunt nemora, exhibentq; cultus,
Grato murmure & obstrepunt fluenta,
Verno carmine personant uolucres.
Nunc gaudet facili uiator aura
Et lætus fruitur patente campo.
Idem nos furor impetusq; uexat
Campos & uirides uidere ualles.
Sedes sunt aliæ mihi petendæ.
Mutanda est ratio urbium & locorum.
Quid? qui perpetuo tabescit ijsdem
Terris, urbibus, Insulis, triclinijs.
Inter quantum erit hic petra ut marina

Fixis

10175788

Fixis impare ſpongijs fruatur
Vita. Nunc patrium uidemus amnem
Rhenum, nunc Tiberim Auſonum ſub oris.
Iam Nilum aſpicimus ſolum rigantem,
Tellurem Iſidos & DEI latrantis.
Nunc duras ſequimur plagas Scytharum,
Nunc ad turilegos uagor Sabæos.
Nunc extremum auco petiſſe Thulen.
Exemplo ſapiens Poëta nobis
Quod pulchre expoſuit peregrinantis
Per pontum & uarios locos Vlyſſis.
Hæc ad quod mihi naſcitur cupido
Iam diuerſa ſequi, nouasq; ſedes
Elegiſſe Deo fauente cœptis.

VTRIVSQVE LINGVAE
ſtudioſiſs. Iuueni Ioachimo Camerario amico vt veteri
ita charo. S. D.

GRatiſs. mihi fuerunt litteræ tuæ, in memoriam mihi reuocantes conſuetudinem longe ſuauiſſimam. Dubitas an ſit tibi locus apud me adhuc compellationiq; litterarum tuarum. Cur dubitas? Vix tibi hoc ignoſco. Quod ſi me plane noſſes, aliter ſcriberes. Nec eſt quod Lipſenſes ex Priſtino iudices. Alij nunc ſumus quam olim. Poſuimus uetera. Deterſimus omnes ſordes. Pauca admodum reliqua ſunt ingenia deplorata, tanquam in egregio cor-

10175788

pore neui. Propter quæ tu à nobis abhorrere non debes. Nunc non plura, postea aliquid aliquando ad te copiosè scribam. Inter pocula enim hæc, ut tibi Cordus narrabit. Tu interim, cariß. Ioachime, me amare perge. In quo adeo non uincar, ut uel tuo testimonio tibi non uidear cedere. Ego, ut scias, in Græcis iam multus sum, &, ut spero, fauebunt Musæ. Hesso me commenda, idq; studiosè, à quo si quid amicitiæ mihi conciliaueris, non erit perditum. Bene uale, ad lucernam: calendis Augusti Anno XX. Hieronymus Rupertus te salutat. Itemq; Hipseus Græculus insignis. Iterum uale.

Andreas Camicianus.

LONGE CARISS. IOACHIMO Camerario Iuueni dotis, S. D.

NOuo modo tua me delectat Epistola multo lepidißima. Vsitatum est, quod Græca inseris, Quod amanter scribis homo eleganti ingenio & litteratura mihiq; carißimus. Hoc nouitatis gratia fulget quod cauillo pungis dialectico. Tenet, inquis, consequentia. Est imprimis acuti uidere consequentia, notare repugnantia. Ergo non bilinguis solum & festiua Epistola tua, sed etiam cata resipit penetralia Magistrorum sapientiæ. Ridiculus aliquando honor, & qui fuit in Academijs formidabilis.

Nunc

Nunc patent aures nimis longæ Cumani Leonis. Quis enim reuereretur? receptis politioribus litteris, eruditione patefacta limatiore? Tuus Magister noster amicius sensit de cultura utriusq; dictionis, quam cæteri eiusdem farinæ. Te ualde & semper dilexit, mihi fauit. Ob id cum in cœlum ascendisset, meruit celebrari senariolis nostris. Vixit ille, & quem dederat cursum fortuna peregit. Nos hilari mente uiuamus inter Musas Apolline propitio. Tu felicior cum Philippo Cratippo cantillas, Ego solus tracto canoras nugas. Sucbus noster rara indole Iuuenis te salutat ornatissime politissimeq; mi Ioachime. Vale 10. Cal. Sextilis.

Deditiss. tibi **Mutianus.**

IOACHIMO CAMERARIO
Quæstori vtriusq; linguæ doctiss. amico S. præcipuo. S. D.

QVoniam tuæ olim litteræ, nobis adminiculo & perquam iucundæ fuere, Ioachime doctiss. fit ut cogaris & nostras legere nenias, cupimus enim tuas elicere, quas uidendi indies maiore desiderio tenemur. Fuerunt enim nobis semper gratæ ac utiles. Quapropter magna nos afficies iniuria si calamum continebis. Vbi primum redierit uicinus meus Hofemanus, *faciet tibi copiam eius, quod*

Alean-

10175788

Aleander Motenſis contra Martinum Lutherum coram Imperatoria Maieſtate propoſuit. Illa enim modo una cum his litteris mittere res & tempus non tulit. Commentatus eſt & declamitauit multa. Quem autem nunc tibi libellum mittimus, de eo pelecto tuum nobiſcum communicabis iudicium. Conuocat Imperator milites mercenarios miſſurus ad Batauos, ut ibi Regis Gallorum impreſsionẽ prohibeant. Hiſpaniarũ plebs in proceres ſurrexiſſe fertur tyrannidem ipſorũ repreſſura. Operculum noſtrum tibi ſumme committimus, eſt enim noſtræ fœdus amicitiæ. Vale, & omnes noſtros bene ualere iube. Moguntiæ X X. die Menſis Martij. Anno Chriſti M. D. X X I.

Per tuum Sturciadem Opercum.

IOACHIMO CAMERARIO amico S. non vulgari.

SAlue. Quo noſtræ ineptiæ tibi ſunt notiores, humaniſs. Ioachime, eo liberius tibi ſcribimus, cum ea præſertim, quæ hactenus noſtris ſignificatæ ſunt litteris, boni, quemadmodum ſperamus, conſulueris, neq; noſtram infantiam à tergo ſubſannaris. Quæ quidem iam ſcribimus, ea te hactenus ignoraſſe credimus. Quod diutius pati non potuimus. Sed quid opus multis? paucis accipe magna.

Vlricus

Vlricus Huttenus edidit inuectiuas in Aleandrum, cohortationem item ad Carolum Imperatorem. Eraſmus noſter habet in manibus opus hiſtoriarum Eutropij 20. librorum. Quod breui ſperamus in lucem proditurum. D. Iacobus Sobius oſtendit nobis Acta Conſilij Baſilienſis Aenea Siluio adhuc Canonico autore. Quæ ipſe Sobius una cum ſua præfatione (quam maiore ex parte, ipſo recitante, audiuimus) editurus eſt. Sunt ea tota, ut ita loquar, Martiniana. Tradidit & Hermanus inclitus Comes Neuenarius D. Sobio ſcriptum uetus, in quo oſtendit mihi titulum Epiſtolij Aeneæ Siluij ad Vniuerſitatem ſcholaſticam Colonienſem. Dixitq; tunc temporis doctos Coloniæ fuiſſe uiros, & qui præclare ſaperent, ac ueritatem tuerentur. Clamant quidem totum mundum conturbari à Luthero. Quod eſt uerum. Fecitq; idem Apoſtolorum doctrina. Sed iſta uidentur malorum principia, quibus quare non nunc ſaltem obſtatur? ne poſtea medicina ſera ſit. Non obſtabitur autem clamoribus & minis neq; ſæuitia ulla. Sed hoc fieri poſſet confitendo errores manifeſtos, & corrigendo uitia & relinquendo locum curſui Euangelij. Scribo autem ea, quæ prudentes & bonos loqui audimus, de quibus ſatis. Vale, ſalutabis noſtro nomine Regem noſtrum Eobanum, Ducem Petreium Palatinum. D. Henricum. Diceſq; illis nos deſijſſe eſſe Maiſtros Ochſios. Iterum uale ac ſalue. Coloniæ Agrippinæ, octauo die Aprilis. Anno noſtræ ſalutis 1521.

T. Sturc. Operc.

Vtriusq;

10175788

VTRIVSQVE LINGVAE PE-ritiſs. Ioachimo Camerario, Quæſt. amico præcipuo. S. D.

NON *poſſum non mirari*, Ioachime doctiſs. Te Vorchemiumq; *noſtrum, nihil penitus ad me hactenus dediſſe litterarum. Quamuis iuſtam poſitis quare id prætermiſſum ſit adducere cauſſam: Nimirum tabellariorum penuriam, cum ipſe raro habeam, cui meas ad uos perferendas tradam* Atq; *adeo iam hunc conduxi, qui redditis meis ueſtras reportet. Poſſes autem & tu mirari, quod* Euricius *noſter, nullas cum hoc ipſo tranſmiſerit litteras. Sed paucis rem accipe.* Ego *me intra* Venetiarum *ædificia contineo, quo facilius intolerabiles canis æſtus maritimis uentis utcunq; lenire poſſim.* Cor-*dus uero,* Interea *temporis* Ferrariæ *totum cona-tur deuorare* Auicennam. Nihil *timens periculi. Etſi pontifex paucis diebus elapſis ducem una cum miſera gente, quæ nihil tale erga eum unquam me-ruit, leonina laniare ac trucidare ſtuduit rabie. Sal-tem ut ſanguinolentus Leo ciuitate potiri poſſet. Verum detecto negocio, cum* Imperatore *noſtro* Carolo *gratiam inijt, contra q;* Gallorum *regem auxiliares addit copias.* Ob *quam rem* Galli Medio-*lani urbe derelicta, in munitiſsimam confugerunt arcem illius. Atqui* Iuppiter *ſummus, immiſſo ful-mine pulueres* Boardarum *ibi repoſitos igne corri-puit, ita arx illa horribiliter fuit diſiecta, & magnæ*

præſidij

præsidij Gallici pars interempta. Venetorum autem Dux Leonhardus Lauredanus obijt mortem, & proceres in creando altero perplures consumserunt dies, ob factiones inter eos ambitione exortas. Negocium tamen propter Imperatorem finire coacti sunt. Cupit enim hic certior fieri, Gallorum ne Regis partes defensare uelint, an suas. Qua de causa per totam Italiam existunt tumultus, oppugnatur Genua. Roma Imperatorem expectat. Acclamant enim omnes Imperio. Ea propter reuerso tabellario meo in Germaniam redibo, cum his in locis nihil bonarum litterarum inter istos tumultus hausire possim. Nunc id unum rogo, teq; libenter facturum esse certo scio: Eobanum Hessum meo nomine & D. Viti VVerleri, qui Venetijs me allocutus est, saluta. Salutabis & omnes nostros, deq; Lutheri negotio, quicquid habueris compertum, ad me perscribes. Poteris autem tabellario meo omnia tuto committere. Vorchemio nostro iam non scribo, tuq; has ipsi imperties litteras. Porrò id imprimis curabis, ut Cordo nostro sui studij inq; eo curriculi testimonia, á DD. Henrico & Ambrosio perlibeantur, & huic tradantur tabellario perferenda. Quæ enim alias recepit testimonia, ea domi reliquit, neq; poterunt ipso absente requiri. Vale 7. die Mens. Iulij ex opulentiss. Venetiarum urbe, á nostro seruatore nato Anno 1521.

Per tuum Georgium Sturciadem Operc.

Ioachi-

IOACHIMO CAMERARIO
Quæſt. doctiſs. Iuueni ſuo Cordi. S.

FAlleris, Ioachime, ſi ſerio tecum acturum Coradum abſentem credis. Non deſino pro mea uetere conſuetudine ineptire. Scripſi tibi nuper, litteris Moguntiæ datis, meras ineptias, nempe de Monacho diſcalceato fumigero. Quid enim tales monachi ſunt præter meras ineptias. De ineptioribus iam ſcribo, nimirum de Theologis Colonienſibus. Eos ſi tu carnales, ut hactenus plæriq; , credis , erras. Sed iam ſpirituales illos factos ſperas. Iterum falleris. Vtri igitur ſint non quæris ſcilicet, cum audieris eſſe neutros. Quinam ergo ſunt ? inquis. Meri oſſarij ſunt. Nihil enim hic colitur præter oſſa, ſerico, auro & gemmis implicata. Atq; tam multa, ut omnia cadaueraria expilaſſe iſtos putes. Videres plebem ſupplicem hiſce nugis ſe aduoluere. Nihil hic dignum ſpectatu uidi , præter tres Reges. Sed quos ? Comitem Neuenarium , Cæſarium & Sobium. De alijs nihil mihi conſtat. Malo tamen credere quàm uri. Ego Crabrones quoſdam, non enim poſſum à nequitia diſcedere , nudiuſtertius exagitaui carmine quodam. Placuit hoc Neuenario, & eſſe egregium ille iudicauit. Mutatam eſſe nobis de petenda Lutetia ſententiam , forte Operci litteris factus es certior. Cauſſæ ſunt multæ , ſed hæ præcipuæ, quod certamina magna oriantur inter Gallos & Ger-

Reliquiæ

10175786

& Germanos. Acre bellum mouetur aduersus Cæsarem. Atq; esse á Gallis tentatam urbem nobilem Leodij nuntiatur, ferijs Paschalibus. Quam per insidias occupare conati illi fuere. Quorum in urbe consiliorum participes iam supplicijs meritis affici dicuntur. Nusquam in Gallia tuti essemus futuri. Quare Italiam petere decreuimus. Quod iter crastina luce ingredi cogitabamus. Quod illic & locus tutior sit, & medicinæ studium florentius. De Vlrico Huteno, scribo plura ad Vorhemium, qui suas sine dubio litteras tecum communicabit, & tu has ad te cum ipso. Tu hisce uale, & filium meum summe commendatum habe. Eum tu omnino expolias oro, & paterna cura, id quod facis, corrige. Vale. Coloniæ. Saluta amicos omnes.

Euricius.

SVPRA ÆTATEM ET OPINIONEM docto iuueni Ioachimo Camerario Quæst. Philosopho insignito.

Si æque uos nostras, ac nos uestras, desideratis litteras, uenient hæ certe expectatissimæ. Mirarer post tot meas, nullas adhuc tuas huc esse missas, nisi scirem commoditatem mittendi raro offerri, uosq; adeo ignorare ubi nam gentium locorumq; agamus. Ferrariam (quod tamen omnes Cordomastigas latere nolim) salui peruenimus. Vbi in terris non magis uersantem Christum offendimus. Pridie

enim in celum aſcendens abijſſe dicebatur. Miraris, ſcio, quæ nam tricæ, noſtram profectionem, quod tam ſero deſedimus, impedierint. Longa uia, ſeuerißimæ alpes. Deum immortalem quantæ rupium moles? quam alta & quibus niuibus conſputa montium cacumina? In his ad menſis dimidium, fragoſum iter nos detinuit. Vbi uector meus equuleus, ob amiſſum, neſcio in quo prœlio, alterum oculum, iamdudum cocles, in claudiorum familiam adoptatus eſt. Statim eum reliqui cum ad Beuacum ueniſſemus. Nam illac non ſine ambagibus, ut tam celebrem lacum uiſeremus, profecti ſumus. Et certe non uſq; adeo nullo operæprecio. Hic enim Domitij Calderini natale ſolum uidimus, in ea, qua ille natus domo eſt, pranſi. Pagus eſt ad Beuacum ſitus, uulgo Dori appellant. Erecta eſt ex marmore ſtatua Epigrammate ſignata, in limine ædium. Hic etiam eſt Peninſula Sirmij, quam Catullus Epigrammate celebrauit, & appellauit ocellum omnium inſularum. Ego nihil in ea, quod tanta laude dignum ſit conſpexi. Sed ipſe lacus amœnus, perſpicuus, rupibus abruptis coronatus, triginta habet miliaria Italica in longitudine, quem nos una nocte & dimidiato die traiecimus. Exit hinc Mincius fluuius Virgilij carmine celebris, qui Mantuam alluens alium ingentem ibi lacum ſtagnatione ſua efficit. Hanc enim etiam urbem ob Maronis authoritatem inuiſimus. Prope quam mihi pagus, in quo ille natus eſſet, monſtrabatur. Bitoliam uocant accolæ. Per Padum deinde ſexaginta ego miliaribus Ferrariam deſcendi, alijs

Alpes

Equus Eobani

D. Calderini pri

Benacꝰ lacus

alijs equestre iter facientibus. Sed satis iam nugarum. Seria nunc, & quo in statu sint res nostræ accipe. Cameram apud quendam Medicinæ Doctorem conduximus ad semestre unum XI. Ducatis. Cogitare potes quantus in alijs necessarijs faciendi sint sumptus. Omnia hic sunt duplo & amplius cariora quam apud uos. Sed rependit aliquid, quod non pœnitendos habeamus præceptores. Docet enim Nicolaus ipse Leonicenus homo iam nonagenarius. Cuius ætatis spacium medicinæ acceptum merito feret. Item alter quidē nomine Manuardus. Tertius item, cuius nomen adhuc mihi incognitum. Feruet studium nostrum. Spero me non adeo rudem huius artis aliquando reuersurum esse. De titulo uidebimus. Non commodum est neque tutum diu hic commorari. Quid noui iam scribamus, nihil habemus. Præterquam quod audimus Italum quendam in Erasmum scripsisse, & turpi eum stigmate notasse, ob correcta & translata Euangelica scripta. Appellasse illum eruditum quidem & doctum, sed in Luciano, & nescio quibus alijs uersatum, & non eum, qui Euangelicas litteras tanta authoritate tractet. Olfacis quo hæc tendant. Dolet istis nebulonibus aperiri nobis scripturas sanctas, & oculatos tandem fieri Germanos. De causa hic Lutheranæ parum imo nihil hic audimus. Quæso te per nostram amicitiam, omnia quæ cum eo acta sunt & aguntur, exacte perscribas. auemus enim scire. Nam ex quo Vuormaciam reliquimus, de istis rebus nihil accepimus. Scripsi quiddam quod illi quasi acclama-

Nic. Leonicenus

Manardus

retur ingredienti urbem, nescio an ad uos peruenerit, credo autem expressum Argentorati. Eo enim detulit Philippus Engentinus. In cuius hoc itinere, ut aliorum complurium eruditorum familiaritatem perueni. Vidi hic Curium Lancilotum Grammaticum illum insignem, sed hominem sordidum, deformem, abiectum, pauperrimum, omnibus fere odiosum, neq; expertem infamiæ. Suspicantur eum tanti uoluminis autorem non esse, sed Graculum se Pauoninis his pennis exornasse. Est quidam hic Cœlius quoq;, an ille qui opus illud ingens composuit, nondum scio. Laudant eum ut Græce Latineq; ualde doctum, & Poëtam insignem. Ego hominem non conueni, neq; conuenturum me esse puto. Statui enim latere, & cum nullo quicquam conferre. Timeo mihi á mendicabulis istis & excitatis crabronibus, ne suos aculeos uenenatos immittant. Ludo tamen non minus in ipsos quam prius, quæ tu aliquando uidebis. Quartum enim Epigrammatum librum succisiuis horis, me recreandi caussa, adorno. Exprimetur hic fortasse, cum abiero, Venetijs, quas propinquas reuertens ad uos petam. Sed cur id quod præcipue mihi curæ est, in calcem Epistolæ differo? Quid agit filius Lucianus? quem se gerit? studet ne? Valde uereor ne ille tibi molestus sit. Precor te per omnes Musas & earum delicias, quarum tu futurum decus, impendas operam ut discat. Referam gratiam quam potero. Vale. Saluta Vorhemium, Hessum, & cæteros amicos. Ferrariæ post ferias Pentecostes proxima die. Salutat te Antonius.

Ph. Engentinus

Curius Lãcilotus

Candidus Euricius tuus.

IOACHIMO CAMER.
Quæſt. ſuo.

Diuitias alij mittant ac ſpleudida dona,
Aut pictas chlamydes, purpureasq; togas.
Aut tabulas ueterum memorantes prælia regum,
Oraq; priſcorum ſigna imitata ducum.
Aut tripodas multo præcioſos pondere & auro,
Aut etiam docta pocula picta manu.
Deniq; quæcunq; eſt ſapiens mirata uetuſtas,
Depromant alij dona ferenda tibi:
Aſt ego, ceu tenuis mea fert fortuna, nec aurum,
Nec Tyrio uarium mitto colore decus.
Sed quæ nunc craſſo deduxi carmina filo,
Munera do, noſtri pectoris indicium.
Parua quidem fateor, pro tantis præmia factis,
Sed tamen ingenio non minus apta tuo.
Si fera conueniunt Martis cultoribus arma,
Et decet immites haſta cruenta manus.
Carmina conueniunt ſtudioſis ſcilicet eius
Edita Pegaſeo quæ pede manat, aquæ.
Mirantur magni fulgentia munera reges,
Et ſtupet auratas principis aula trabes.
Aſpice ſtant nudæ rupes Heliconis, & ipſa
Pieridum ducit nuda caterua choros.
Non illas gemmis, non fuluum contegit aurum,
Oſtendunt nudos pectora aperta ſinus.
Deniq; nec ueſtes nec ſplendida pepla morantur,
Illorum mentes carmina ſola iuuant.

Carmina Perſarum non æquat regia Gaza,
Non æquat nitidi diues arena Tagi.
Carmina Diuorum mentes & pectora mulcent,
Carminibus manes obſtupuiſſe ferunt.
Pectora carminibus miteſcunt ſæua Leonum,
Mitior, admoueas carmina, Tigris erit.
Carmine Threicius traxit fluuioſq; ferasq;
Orpheus, & Stygios uenit ad uſq; Deos.
Carmina nec ſæui uincet Iouis ira, nec ignes,
Nec mors, incurua quæ omnia falce metit.
Nunc tibi Piramides, opera ambitioſa Canopi,
Aut ubi Mauſoli clara ſepulchra ſenis?
Nempe hæc exedit per tempora longa uetuſtas
Cuncta, ſed interitu carmina ſola uacant.
Carmina quem referent, uiuet dum ſidera cœlum,
Gramina dum tellus, dum uehet amnis aquas.
At tu ne ſpernas noſtrum hunc Ioachime laborem,
Neue hæc infeſta reijce dona manu.
Debemus maiora tibi, meritumq; fatemur
Cum fundat largas copia diues opes.
Nam me ſermonis docuiſti elementa Pelasgi,
Heronis per te cognita flamma mihi eſt.
Per te Penelopes didici curam atq; pudorem,
Peliden opera nunc quoq; noſco tua.
Ipſe Deus referat grates, ac præmia digna,
Nam rebus nimium eſt ſors inimica meis.
Non mihi uel ueteri fumant cellaria uino,
Vel flaua è Lybicis Farra metuntur agris.
Non mihi ſepoſita gemmæ ſeruantur in arca,
Miccylli ueri nos, Ioachime, ſumus.

Heu

Heu bene ſub priſco degebant ſecla Saturno,
Cum tellus nondum foſſa tegebat opes.
Nam neq; tunc curuo ſudabat taurus aratro,
Omniaq; ipſe ſua ſponte ferebat ager.
Nuſquam tunc pugnas, tunc prælia nulla uideres,
Nullibi tunc bifrons Iane uidendus eras.
Tunc neq; diuitijs alios præſtare uideres,
Atq; alios duram plangere pauperiem.
Quæ nos, heu nimium ſtudijs nunc inuida noſtris,
Quaſſat, & extremis opprimit uſq; malis.
Nec ſinit ingrati nomen uitare, uolentem,
Præmia pro factis digna referre tuis.
At tibi ſit facilis, ſitq; ad tua uota benignus,
Detq; frui fato me meliore, Deus.

Micyllus tuus.

AD IOACHIMVM ABEuntem cum Philippo, Elegia.

Ibitis Hercinij per inhoſpita regna coloni,
O animo multum pectora cara meo.
Atq; iterum magni piſcoſa uolumina Meni,
Et rapidas Rheni deuenietis aquas.
Nos dolor exercet, nos anxia cura relictos
Torquet, & à magno non ſinit eſſe metu.
Et quis erit, nulla poterit qui ferre dolore:
Ab ſe tam charos qui uidet ire uiros.
Aut ijs non metuat? (nam caſus mille uiarum)
Difficilem & longam quis uideo ire uiam.

Ipſe ego, (ſit, faciat Deus, ut timor omnis inanis)
Sollicitor noctes atq; timere dies.
Vos faciat reduces Deus, huc ſpectemus euntes,
Neue ſit hinc faciat iam procul illa dies.
Si quid enim ſtudij diſcendi, ſi qua uoluptas
Affuit, hæc fugiens nunc ſimul omnis abit.
Vos lugent Muſæ (pia numina) luget Apollo,
Defuit & ſolitis plectra mouere modis.
Vos quicquid reliquum ſtudioſæ noſtra cohortis
Vrbs habet, hoc totum uoce gemente uocat.
Ah quoties uidi lachrimis qui ſtaret obortis
Qui mœſtus mœſtis diceret illa modis.
Nobilis ô Albi, quo nunc tua fama Philippus,
Quas tibi deſertas efficit ille domos?
Iam tibi iam uere ceciderunt ſceptra ſuperbæ,
(Quod Deus auertat) ſi cadat ille tibi.
Ille tibi nomen primus dedit. Ille ſub aſtra
Extulit, ac arces condidit ille tuas.
Ille tuis primum formauit pectora natis,
Et docuit recta cernere & ire uia.
Ille in te primus facundas protulit artes,
Quasq; tulit Latium, Græcia quasq; tulit.
Aſpice quam longis aliæ te paſſibus urbes
Vt, ceu præſcriptum, quæq; ſequatur opus.
Vna inter reliquas luces, ceu candida lucent
Lilia ſiue roſis addita, ſiue croco.
Contulit ille tibi hæc, tua gloria tanta Philippus,
Vnicus ille tuæ ſpesq; decusq; ſcholæ.
Cui nunc extremi peragranti littora Rheni,
O lubeat proprias rurſus adire domos.

Et lubeat, nullo qui iam paſtore uagatur,
Debita collecto claudere ſepta grege.
Sic oculis aliquis multo manantibus imbre
Dicta dedit, noſtras ingemuitq; uices.
Quæ ſi nulla mouent, & uos aliena uidendi
Imperia, & gentes tanta cupido tenet,
Attamen in mentem ueniat, qui uertitur ordo
Rerum, & quas uariant tempora noſtra uices.
Omnia ut inſidijs, ui, fraude, doliſq; gerantur,
Vt ſana in toto nulla ſit orbe fides.
Anne uides ipſis ut uix modo tutus in agris
Perficere incœptum poſſit arator opus?
Hinc male crudelem formidat militis enſem,
Hinc auidas equitum tela manusq; timet.
Vſq; adeo nihil eſt cui tuto credere poſſis,
Omnia ſollicito ſunt loca plena metu.
O pereat quicunq; fuit, qui repperit enſem,
Commiſitq; auidas primus ad arma manus.
Non hunc humanos animos habuiſſe nec ora,
Et natum è ſæuis cautibus eſſe, puto.
Hunc ego nec mortem credo fleuiſſe parentis.
Oſcula nec natis ulla tuliſſe ſuis.
O Deus ô talem nobis auertito peſtem,
Ingenio molli prædita turba ſumus.
Bella gerant alij, atq; utantur fortiter enſe,
Nos manet à ſtudijs gloria, ſi qua manet.
At uos, ô nimium ſecuri, ponite dura,
Et nimium uitæ prodiga corda ſuæ.
Et caræ memores patriæ, memoresq; parentum,
Fer tam difficiles cautius ire uias,

10175786

Vestra Deus facilis sic omnia cepta secundet,
Sic det inoffenso posse redire pede.

Micyllus tuus.

CLARISS. PIETATE, DOctrina & virtute viro Ioachimo Camerario amico S. obseruando.

S. D.

CLarissime uir, uidi & legi libellos duos, quibus historiam uitæ, actionum & scriptorum quorundam excellentissimi Poëtæ Eobani Hessi *es complexus. audio etiam tertium prodijsse, quem nondum uidi. Cum autem ea narratione, in qua de consilio editionis luculenter præfaris, summopere delectarer, & recordationem istorum temporum admodum dulcem & suauem tibi esse animaduerterem (sicut profecto & me legentem, hominum doctorum, qui eo seculo uixerunt, candor atq; in omni uirtutum genere summa integritas, ualde mouerunt) cogitaui mecum, non ingratam fortè rem tibi facturum, quicunq; aliquid conferre uellet, quod editionem istius historiæ uel iuuaret uel augeret.* Vixit *autem hìc nobilis atq; optimus uir* Gerlacus de Margaritis, & Leoburgo, *filius* Herebardi *istius, qui apud* Albertum Moguntinum Electorem *primum, deinde etiam inter* Imperatorum Maximiliani & Caroli Consiliarios *eo tempore, summo loco*

fuit

10175788

fuit ſummaq; autoritate, & ut arbitror, tibi quoq; non ſolum notus, uerum etiam familiaris. In huius igitur bibliotheca uidi inter cætera uolumen ingens manu ſcriptum Epiſtolarum Mutiani Ruffi, in quo ſuperſunt nonnullæ uel ad ipſum Eobanum, uel de eo ſcriptæ. Carmina quoq; Eobani quædam ibidem leguntur, quæ ut ferè apparet, admodum adoleſcens conſcripſit. Ex his ſi cupies uidere quædam, & me de uoluntate tua certiorem feceris, curabo ut deſcribantur ea, quæ ad rem facere uidebuntur, non enim opinor uolumen ipſum facilè á ſe D. Gerlacus dimittet, cum plurima de priuatis negotijs ſcripta contineat. Hoc meum obſeruantiæ in te ſtudium qualecunq;, ut gratum habeas uehementer rogo. Hunc quoque adoleſcentem nobilem Herebardum, natum in eadem Margaritana familia, & Herebardi cuius iam mentionem feci nepotem, tibi diligenter commendo, ut & autoritate tua ad uirtutis & literarum ſtudium ipſum cohorteris, & conſilio etiam adiuues. Vale. Calend. Maij An. M. D. LXIII. Arnſtadij.

Bruno Seidelius
Med. D.

IOACHIMO CAMERARIO S.

MItto ad te uir clariſſime Epiſtolas nonnullas & Carmina Mutiani atq; Eobani, quæ ut deſcriberentur proximæ tuæ litteræ uelle uidebantur.

10175788

tur. Selegi ea potissimum, in quibus mentio aliqua Eobani extaret, tui autem iudicij erit excerpere quæcunq; tibi demum uidebuntur optima. Mihi satis est si uoluntatem & operam meam qualemcunque hanc non ingratam fuisse tibi intellexero. Vale. Arnstadij pridie Cal. Octob. An. M. D. L XIII.

Bruno Seidelius D.

DIGNITATE, VIRTVTE ET doctrina præstanti Brunoni Seidelio, Medico celeberr. & V. Cl. amico obseru. S.

S. D.

QVintus iam agitur annus, ex quo tuæ humanitatis opera nobis data est, & susceptus non paruus labor colligendo & describendo Epistolas & alia quædam superioris ætatis eruditorum atq; doctorum hominum monumenta: Id quod ego abs te tantopere contenderam. Cum autem animus semper fuerit, curare, ut ea una cum nonnullis generis eiusdem, quæ penes me essent, typis expressa ederentur, cumq; adeo studij in hoc ipsum aliquid impenderim, hactenus tamen opus absolui non potuit, modo hac modo illa mora illata. Interdum enim præla non uacabant nostris elaborationibus, Interdum nos alijs occupationibus, & nonnunqnam itineribus ab incepto abstrahebamur, Interdum ualetudo quoq; aduersa erat impedimento. Sed fuit scilicet

licet hoc tempus destinatum isti euentui, ut anteuerti non potuerit. Quod utinam fortunatum & prosperum appareat, & faueat isti operæ studij nostri. Id quod ἀναστησάμενος εἰς τὸν Θεὸν: Tuæ, quomodocunq; res cadat, uir clarissime, gratificationi plurimum me debere confiteor, qua desiderio meo abs tua humanitate mihi prolixe est satisfactum. Sane, ut scribis, Eobanica carmina in adolescentia prima ab illo composita, iuuenilia sunt, neque habent eam præclaram eximiæ pulchritudinis speciem & uirium integritatem, quæ conspicitur in editis ab ipso. Sunt tamen certe lectione & hæc eruditorum digna, & attendentibus cum uoluptatem tum utilitatem poterunt afferre. Quod & conatus egregij indolis bonæ in ijs appareant, & unde quo contentio processerit animaduertere liceat. Vt autem inter narrationes de laboribus ab Hercule exanclatis admirantes ingentia certamina, á puero etiam enectos in cunis angues animis libenter contemplamur, Sic profecto ea, quibus in adolescentia aliqui magnis atq; perfectis operibus ingenij proluserunt, liberalis doctrinæ studiosi cognitione sua cupide compræhendunt, & illis considerandis delectantur. Cum quidem fructum quoq; consideratio ea haud spernendum pariat, eius, quam supra indicaui, progressionis, quæ à Græcis προκοπὴ appellatur. Cernitur autem etiam in ista iuuenili exultatione uis ingenij Eobanici & artis studium. Quæ duæ res coniunctæ, omnibus effectionibus humanis excellentiam laudis adiungunt. Quæ laus pro eo

atq;

atq; altera utra illarum aliquis deficitur, & ipſa intercidit atq; deminuitur. Ennius ingenio maximus, minus laudatur, propterea quod fuit, ut ait Naſo, arte rudis. Alterius cuiuspiam deterior eſt fama, qui non ualeret ingenio, ſecundum Poëtam eundem, ſed arte. Atq; recordor dicti uiri dignitate & uirtute præſtantis Iacobi Milichij amici noſtri, Quietſi ad naturam & cauſſas perquirendum, & medicinæ cognitionem contulerat ſtudium ſuum, eruditionis tamen & Muſarum amator cultorq; permanebat, & hanc doctrinæ liberalis partem conſtantiſſime tuebatur. Is igitur dicere ſolebat: Eobanum Heſſum animaduertiſſe ſe, ſimul ſcribere & facere uerſus. Alios quoſdam facere poſtquam ſcripſiſſent. Non etiam nullos prius facere, quam ſcriberent. Significabat autem in Eobano ita copulatam eſſe facultatem ingenij & induſtriam artis, ut ſimul hæ procederent. neq; una alteram deſtitueret: Cum cæteri aut iam ſcripta, numeris demum concinnarent, aut longa commentatione informata tandem exararent. Quod in Eobano adeo uerum fuit, ut, quamuis ille perſcripta ab ſeſe nequaquam effunderet, antequam recognoſcendo ſtuderet perpoliri, haud tamen ſæpe & multum ab ipſo deprehenderetur, ſic aliquid primo factum, ut refingi deberet. Eius rei opt. ego teſtis eſſe poſſum, cui ille dum una fuimus, non dubitabat ſua, præſertim conuerſa de Græcis tradere inſpicienda & conſideranda, autographa primæ compoſitionis nobis mittens. Sed de hoc ſatis. Ad cætera ſcripta quod attinet, Mutianica præſertim,

tim, cum nonnihil fortaſſe & in uerborum delectu & compoſitionis cura, requiri in his diligentiæ poſſe uideatur, alias quoq; nõ dubitauimus quædam differere, & quaſi relatis rationibus noſtris, pronunciare ſententiam propriam. Habet autem ſeſe res ita, alia ut alijs forma ſcriptorum, ſicut oris, probetur & pulcra uideatur. Atq; adeo, ſecundum Theocritum, amantibus ſæpe ἡ μὲν καλὰ καλὰ πέφαντα. In hac igitur parte & ipſa iſtud ualeat: Mihi mea, tibi tua. Mutiani quidem certe ſcriptorum oratio, in ſuo genere bona eſt, & quæ non ſolum culpa careat, ſed laudem quoq; mereatur: Exprimens luculentam ſpeciem orationis liberæ, & ſolutæ omnibus quaſi uinculis reſpectus ad alterum exemplum, & impoſitæ neceſſitatis ad hunc aut illum imitandũ. Animo magis intento ſententijs cum graub. tum iocoſis breuiter concinnandis, quã cogitatis, dilucide & copioſe explicandis. Conceſſa etiam ſibi licentia, uel deriuando, uel duplicando, uel quocunq; alio modo non uſurpata ab autorib. Latinitatis effingendi uocabula. In quo propoſito et quæ uoluntate, non ſolum componendi, ſed etiam quaſi examinandi uerba, negligentiæ aliquid reperitur. Si præſertim neq; retractando emendatio, neq; perpoliendo lima accedat, uel aliorum negotiorum occupatione obſtante, uel non tam laborem recognoſcendi fugiente autore, quam hanc extemporalem facultatem etiam oſtentante. Iſtud autem genus, ut habet laudem aliquam uſurpatum ab excellentibus doctrina, & ingenij, ut ita dicam, agilitate

litate prædítis: Sic in alijs futile eſt atq; friuolum: Quibus neq; eſt in promtu elocutionis facultas, neque ſuppeditant animo concepta. Vt orationem illorum pannis temere ſuendo conſertis ſimilem perhibere liceat, neq; ſignificantibus uerbis, neq; ſententijs elegantibus ſpectatam. Quod ſi á nobis quidem nequaquam culpandum uetuſtatis exemplum quæritur, & ſunt in medio Senecæ ſcripta, & in Epiſtolis Plinianis extat inſignis iſtius generis uenuſtate prædicabilis forma. Exortus eſt ſub Mutianica tempora Eraſmus Roterodamus uir ingenio & doctrina excellens, qui orationem longius circumducendo, neq; membratim incidendo pleniorem copioſioremq; efficeret, edebanturq; ſcripta ipſius, & uſum Latini ſermonis augentia, & pro hoc contra barbariam propugnantia. Vt autem in his eminebat florida amœnitas & quaſi comta formoſitas, qua initio omnes mirifice capiebantur, ſic ceperunt deinde diligentiores grauitatem in eis & uires, nec non æquabilem ueluti tenorem deſiderare, & offendi uerboſitate, & alicubi minus puro quaſi flumine abundantis orationis. Atq; ita conuerſa ad ueritatem mox fuere ſtudia, & data opera in rationem loquendi ſcribendiq; ad exemplum antiquitatis integræ atq; ſinceræ, ut abſq; fuco & ſpecie aliena, in ijs, quæ proferebantur, natiuus color tanquam in corpore ſano conſpiceretur. Huius attentionis atq; curæ autores fuere imprimis duo ſummi uiri Petrus Bembus, & Iacobus Sadoletus. A quibus reuocata diſciplinæ ſanctitas, cumq; affectantium quorundam

dam in dicendo priſcæ uetuſtatis horrorem, ineptiæ refutatæ, Tum negligentia aliorum in exprimenda ſimilitudine laudatæ & eruditæ antiquitatis, reprehenſa fuit, & plurimorum cupiditas excitata ad contentionem elaborãdi aliquid ſtudio induſtriaq; ſua, quod eruditionis ſolidæ atq; perfectæ nomine commendaretur. Sed redeo ad Mutianica noſtra. Ea nimirum omnia quiuis facile perſpiciet & extempore ſcripta, & inelaborata, & nequaquam apparata eſſe ad editionem in uulgus. Cum tamen neq; de illius præſtantiſs. uiri bona exiſtimatione & præclariſsima fama, quicquam detractura illa, perſuaſum haberem, ac potius confiderem ad celebritatem nominis ipſius aliquid ab his acceſſurum, & omnino ſtatuerem, hæc legentes utilitatis aliquid non expers delectationis percepturos eſſe: Nihil morari me oportere duxi, quo opera editionis iſtius impediretur. De quibus omnibus tantum nos hoc loco uerborum feciſſe, uir doctrinæ eruditione præſtans, in opt. partem accipies. Non autem commemorata ſunt iſta à me, docendi te, qui non minus quam ego intelligis, ſed alios, qui forte hæc legerent, imperitiores commoneſaciendi cauſſa. Tibi gratias ago, cum opera tua ſtudioſe adiuuiſti inſtitutum editionis noſtræ: Et meis uerbis ut agas, ab humanitate tua peto, ijs omnibus qui benignitate aliquid ſua ad hoc contulerunt: Summo uiro de Margaritis Gerlaco inprimis. Cuius ut generis nobilitate & uirtute atq; ſapientia claram familiam Erphordiæ olim adoleſcens notam habui, Sic ipſe quoq;

 fortaſſe

fortaſſe mei nominis non eſt ignarus. Sed de his plura referenda non ſunt. Te bene ualere, & Academia ueſtra augeſcente, & (ſi tam iniquis temporibus huic uoto locus eſt) floreſcente, feliciter uiuere opto. Vale. Lipſ. Cal. Martij. Anno Chriſti Ieſu M. D. LXVIII.

Ioachim. Camerarius.

RECTISSIMIS STVDIIS

eruditis & gentilitia nobilitate claris fratribus, M. Herebordo Margarito Leoburgio, Vtr. Iuris, Gerlaco & Lupo artium Baccalarijs, commilitonibus ſuis & amicis chariſsimis, Eobanus Heſſus Francobergius

S. D.

DIcite magnanimi triplici tres nomine fratres
Debetis Muſæ qualia quiſq; meæ?
Stirpis honos Herebarde tuæ, Gerlace parenti,
Et Lupe, diſsimili conditione, pares.
Nobilitas uos nota ſatis commendat auorum,
Sed non ingenio eſt clarior illa bono.
Cernitis immenſum tot plenum laudibus orbem
Nobilium, uirtus quos generoſa refert.
Semideum celebrant illuſtria facta Poëtæ:
Vetus Apollineo carmine uiuit honor.
Nobilis eſt: uirtus quem laudat iudice Phœbo.
Hac prius eſt nullum nobilitate genus.

Vos

Vos ſtudium, uirtus, probitas, genus ingeniumq;
O quot nobilibus prætulit ante diem.
Ante diem ſed enim primo uos flore iuuentus
Libera, pulchra, uirens, integra, ſancta, fouet:
Bis denos Herreborde licet uix egeris annos,
Te ſequitur natu frater uterq; minor.
Egregij iuuenes tantum iam laudis habetis,
Quantum etiam pauci uix meruere ſenes.
Qualis honor ſenio? quæ gloria ueſtra futura eſt?
Si tantum primo flore iuuenta poteſt.
Veſter honos patria tantum uirtute reſultat,
Ille uenit uobis non aliunde nitor.
Sicut enim ſolo plures de palmite botri
Vt uiret ex uno termite gemma triplex:
Tres uno geniti ſic eſtis ſtipite fratres,
Et qui uos pareret dignus uterq; parens.
Margaritæ pater eſt Gerlacus gloria famæ,
Fortia cui multo pectora Marte rubent.
Ex paradiſiaco quæ ſumſit Elizabeta horto
Nomina, tam celebri coniuge digna, parens.
Luce ſed ex ueteri tractos meliore paramus,
Veſter ut in toto luceat orbe nitor.
Ergo pij fratres meliores uiuite noſtro
Carmine. ſic paucis uiuere poſſe datur.
Viuite ſic noſtris dum uos debere Camœnis
Non pudeat: non eſt iſte pudendus honor.
Iſta bipes apud indoctos ridebit aſellus,
Aequus in hoc omnis carmine doctus erit.
Vſq; adeo tumidum protendes æmule naſum,
Succedet ronchis noſtra Minerua tuis.

10175788

Magne ſophos, uenerande ſenex, cautiſſime cenſor,
Anguis in hoc, proprio crimine talpa : tace.
Dum tibi plena prior uitijs eſt mantica noſtris,
Reſpice quam uaſtum poſtera pondus habet?
Ede quid egregium, uel noſtro parce labori.
Parce, quid ulterius te iuuat eſſe trucem?
Magnus es & doctus : nec enim nos illa negamus :
Nos deceat noſtra ſimplicitate frui.
Tuta ſit, &, nulli de te mea Muſa queratur,
Quid uis hoc eſto, quidquid & eſſe potes.
Liuor abi, utq; ſoles tecum conſumere, non tu
Non mihi propoſitum carminis huius eras.
Viuite perpetui noſtro tres carmine fratres,
Hos tribui uobis quas meruiſtis opes.

AD MAGNIFICVM ET GENERE nobilem Gerlacum Margaritum Leoburgium, Moguntini Pontificis ſuper prophani iudicij cauſsis in Erphordia Vicarium (vulgo Vicedominum) ſupremum, virum ſumma liberalitate, mirifica etiam in doctos homines obſeruantia præditum, Eobani Heſsi Francobergij, pro materia, Heroicum.

GLoria nobilium: quamuis generoſa uirorum,
Stemma, triũphus, honor, uictricis præmia dextræ,
Laus bona, cognati, fãmæ florentis honores,
Copia geſtarum rerum numeroſa, parentum
Inſignes tituli, partæ uirtute coronæ :

Prætere-

Prætereunt, abeuntq́; leues neglecta per auras,
Corporibusq́; petunt nigras ceſſantibus umbras,
Viribus æternis niſi ſint, qui talia uates
Comprendant, auidæq́; pij per carmina morti
Eripiant, claudantq́; uiam, qua ſubdola poßit
Mors afferre bonæ ueniens incommoda fāmæ.
Viuitur ingenijs uatum poſt tempora uitæ,
Poſt cineres, & parua caui monumenta ſepulchri.
Vltima ſic primi uiuunt per ſecula reges,
Et clari uirtute uiri. Sic uiuit Vlyſſes,
Viuit Alexander Magnus, Paris, Hector, Achilles,
Troilus, Aeneasq́; pius, Menelaus & Aiax.
Viuit & Auguſtus, uiuit Numa, uiuit Iulus,
Viuunt quos Romana refert & Græca uetuſtas
Innumeri. quis enim Ponti numerabit arenas?
Quisue humili magnum palma concludet olympū?
Tu quoq; ſic æuo uiues Gerlace perenni
Margaritanorū ſplendor, quem Erphordia multis
Clara Moguntini coluit, uice præſulis annis.
Crimina qui tetrica prohibes urbana ſecuri,
Et populo faſces & iura forenſia præfers.
Hinc canere aggrediar, quæ claræ ſtirpis origo
Sit tibi, progeniemq́; tuam uitæq́; labores
Innocuæ, quibus & fatis felicibus auctus,
Aduerſisq́; ſimul multos conſumſeris annos.
Et nunc ætatem meritis inſignibus actam
Reſpicias, nondumq́; grauem intueare ſenectam,
Sed nec adhuc iuuenis, nec iam deformior annis,
Felix, prole, pia cum coniuge pace fruaris.
Cæſar erat totum notißimus Otto per orbem

Primus Teutonicis hoc nomine notus in oris,
Qui gererent celsa rutilantem fronte coronam
Romani imperij, toto uenerabilis æuo,
Saxonum de stirpe ducum satus, usq; probatis
Qui tot per uastum fulget uirtutibus orbem.
Barbara Teutonico toties qui Marte coëgit
Castra pati tristes duro sub milite casus,
Cuius ad obs. quium toto confluxit ab orbe
Nobilium numerosa cohors, procerumq; iuuentus
Candidior : quos unus erat præstantior inter
Excellens uirtute alios rebusq; gerendis
Magnanimus, fortis, sapiens, & ad omnia promtus.
Consilij grauitate potens sub Cæsare diuo.
Siue gerebantur uerbis res proximus illi
Cessit honor. Qualis Priamo fortissimus Hector
Consilio fuit atq; armis ad prælia, reges
Quãdo tot Argolicos commouit adultera coniũx :
Talis Teutonico fuit hic sub Cæsare, quando
Frena rebellantes spreuerunt ferre tyranni
Romula, victricisq; sequi uexilla uolucris.
Hoc duce barbaricos exercitus ibat in hostes,
Hoc duce victrices aquilæ statuere triumphos.
Ille aduersa prior rumpebat in agmina ductor
Vt leo terribilis. Vnde & urtute probatus
Militiæ ductor sumsit cognomen honestæ,
Heerfurt Germano dictus cognomine lingua,
Quod Latia sonat: aduersos producit in hostes.
Qui pedites equitesq; uiros, & totius agmen
Militiæ, quod nos Latialibus inde monetis
Pressimus, ex Herfurt Herebordus uenit adauctis

Literulis.

Litterulis,demtisq; simul de uoce quibusdam
Teutonica : ratio sic prisca uocabula uocis
Germanæ, & longi mutauit temporis usus.
Postquam autem celebres felici Marte triumphos
Et partas recta meruit uirtute coronas
Laude uir insignis, cuius tunc fama per omnes
Clara urbes,populosq; ibat : iam notus ubiq;
Victor erat, quom Cæsareæ clementia menti
Venerat,& pietas surgenti arrisit honori.
Nobilitate quidem merito donatus equestri,
Auratus præfertur eques,tituloq; superbus
Perpetuum accepit geminos insigne leones,
Ora coloratos pectusq; & crura rubenti
Sanguine,quæ pectus retinent,sunt cætera lactis
Membra,color dextræ signat uictricis honorem
Sanguineus partum, Martisq; rubentia diri
Vulnera, quæ toties passus fuit ille,meretur
Innumeris maiora manu dum præmia bellis.
Lacteus,innocuæ notißima mentis imago
Est color,atq; ulla casti sine labe pudoris.
Insuper & galeam clipei super ora micantem
Cæsar ad hoc forti tribuit memorabile signum
Militiæ,cuius summum spectabilis orbem
Pileolus tegit: indicium qui tempore prisco
Libertatis erat, sicut quos prisca uetustas
Libertate frui uoluit donauit amicos
Pileolo. Sapiens quis non insignia miles
Talia concedi cupiat sibi,libera quorum
Munere proueniat proles & larga propago?
Fortis honorifico signatus munere uictor.

Clarus erat, cumulansq́; nouæ victricia famæ
Nomina donatum meritis insigne rependit
Fortibus, usq; adeo donec iam deniq; uulgo
Pulchra coronatæ ferret cognomina laudis,
Margaritus celebri meritus uirtute uocari.
Tam celebris, tam clarus erat, tam fortis in armis,
Cæsareos quo non iuuenes præstantior inter
Alter erat: tanta superabat laude coæuos,
Vulgares quanta lapides passimq́; uidendos
Margaritæ superant: sic nomine clarus & armis
Egregia præfert iuuenis uirtute redemtum
Marte decus, quod ut in longos trãsmitteret annos
Multiplicem ducta susceptit coniuge prolem.
Creuit ad hoc tanti generis longæua propago,
Margaritum claro deductum stemmate nomen,
Floruit & patria tantum uirtutis honore,
Vt neq; finitimis inter præstantius ullum
Nobilitate genus gentes foret: ergo celebrem
Aequarat meritis proles generosa parentem.
Nec minor in factis tanto stirps patre resultans
Principibus claras adiuncta potentibus urbes
Instaurat, quarum quoniam sunt barbara nostris
Versibus obfuerint uicinis nomina tantum
Nota plagis, testantur adhuc satis omnia chartæ
Annales, uetus erasa deducta papyro
Littera, quæ posito lectorem credere naso
Credimus, historiæq́; fidem dare. fabula non est,
Sed uetus & multos res obscurata per annos,
O quantum nostris celebrari digna Camœnis
In lucemq́; trahi, uelut è deformibus umbris

Palladi-

Palladium, uelut è turri formoſa paterna
Aureolis Danaë deluſa pluentibus imbri,
Sicut ab Aemonijs fuluum conuallibus aurum,
Sic quoq; quod uoluit conſumere longa uetuſtas
Perpete uenturo fama tranſmittimus æuo,
Floreat ut tandem celebris ſqualore ſituq́;
Nobilitas poſito, tanto ſata ſtipite, tanto
Parta uiro, cuius tu nunc quoq; nomina ſeruas
Margaritanorum ſpecimen Hereborde decusq́;,
Et patriæ uirtutis honor. tibi nobilis ille
Gerlacus gemina, quo tantum ueſtra ſuperbit
Progenies, priſco quantum ſeruata Camillo
Arx quæ ſacrilega meruit de uirgine nomen.
Ille tibi genitor nulli uir laude ſecundus
Magnanimus, largus, diues, facundus & acri
Præditus ingenio, quo non aut iuſtior ullus,
Aut grauior uirtute, æquans Minoa fideli
Iudicio: ſummis præfectus faſcibus urbi
Metropoli, ſumma feralem lege ſecurim
Qui mouet, & recta ciuilia iura bilance.
Ille uigens æuo, ſed non puerilibus annis,
Felices imitatur auos moresq́; paternos,
Auſpicijs ſacra concelebrans Hymenæa ſecundis,
Legitimas flamma tœdas meliore micantes
Aſpicit, ingreſſus thalamos de more iugales
Legitimam prima fecit te prole parentem,
Quæ Paradiſiaci cognomen Eliſabetha horti
Obtinet, inſigni ueniens à ſtirpe parentum,
Nobilis & tanto mulier quæ digna marito,
Altera Penelope formoſi laude pudoris,

Laude pudicitiæ : nec te Lucretia priſci
Prætulerint, ſeu tu Latias formoſa puellas
Viceris, aut ſanctum nolis uiolare pudorem.
Addidit & fratres ex hac tibi matre minores
Gerlacum, teretemq́; Lupum, paruumq́; Leonem,
Germanamq́; annis, quam nunc puerilibus Annam
Surgentem patria aſpiciunt uirtute parentes.
Sed uetus & longis hinc infuſcata diebus
Nobilitas (ut ſæpe ſolet, dum ſtirpe nepotes
Deficiunt, longoq́; ſitu neglecta reponunt
Stemmata, & effœto titulos ſqualore iacentes
Abijciunt) ut iam longo defecerat uſu :
Vir bonus & patrij uſq; adeo ſtudioſus honoris
Gerlacus decreſcenti ſuccurrere famæ
Dum ſtudet, ad Regem (qui tum Romana tenebat
Maximus Aemylius tranquillũ ſceptra per orbẽ)
Sumtibus immodicis patria profectus ab ora
Emeruit priſcumq́; decus, priſciq́; nitorem
Stemmatis, & ne iterum longis aboleſceret annis
Nobilitas, tanquam de ſordibus eruta, tanquam
De ueteri releuata chao & deformibus umbris :
Arcem in ſeceſſu ſtatuit, quam quartus ab urbe
Thuringa Latio ſignatus more lapillus
Diuidit, & lætos latè circumſpicit agros.
Inſuper hanc larga Rex libertate uerendam
Inſtituit tutumq́; reis ſacrauit aſylum.
Quod ne ſuccedens poſſet delere uetuſtas,
Addidit emerito geminos inſigne leones
Gerlaco, duplici partitos membra colore,
Luteolo zonas intercingente nigellas,

Hinc

Hinc meritæ fuluam galeæ ſuper ora coronam,
Tam pulchrum tantumq; decus quod regibus olim
Vix etiam paucis ducibus ceßiſſe uidemus.
Quid maius potuit uel quid præſtantius unquam
Vir bonus accepiſſe? nihil, quo clarior eſſet
Spes gentilitij generis, longæua propago
Margaritanorum, quorum tu primus honorem
Inſtauras Gerlace ſitu ſqualente reſperſum.
Multa tibi debet ſtirpis generoſa paternæ
Nobilitas cui tanta refers inſignia, quam tu
Degenerem priſco reddis uir caute decori,
Et ſupra quam priſcus honor quam priſca parentū
Stirps fuerat te nobilior ductore refulget.
Ad te ſed redeo noſtræ pars maxima Muſæ:
Multa leonigero debes Hereborde parenti,
Qui te diuitijs, qui te uirtute beauit,
Qui facit ut uanum poßis contemnere uulgus,
Artibus inſudans melioribus, inter honeſtos
Doctores uerſans, inter ſermone diſertos
Romanos. Spalatine prior doctißime uocis,
Et morum grauitate Cato ſtudijsq; Latinis,
Cui nec docta ſuas inuidit Græcia Muſas,
Nondum quinq; licet luſtris tua creuerit ætas.
O iuuenis noſtri decus admirabile ſecli,
O noſtris olim grauius repetende Camœnis,
Nec Laterane tui te pœnituiſſe laboris
Crediderim, dignum maiori laude parentem,
Qui (quamuis fuerit duris nutritus in armis,
Et belli anfractus & regum caſtra ſequutus)

Inter

Inter honoratos uoluit uerſarier artes,
Et non,ut pleriq; ſolent,ſtrepitantibus aulæ
Submiſit dubiæ clamoribus. omnia uirtus
Proſpicit,expertosq́; alijs cauet ipſa labores.
Rara quidem inſtabili concordia regnat in aula,
Inſidiæ,fraudes,conuitia,iurgia,faſtus,
Furta,doli,cædes regum comitantur honores.
Nulla eſt principibus communior alea magnis,
Iuſticiæ quam lapſus honor, peruerſio legum,
Ni ſint qui dubijs ſubnectant rebus habenas,
Iura quibus bifido ſamulentur candida uultu,
Quorum conſilijs Reſpublica floreat, & ſit
Impia quæ regni compeſcat crimina uirtus.
Nouit & hoc ſapiens quondam Gerlacus ad unguẽ
Expertus, tumidosq́; aulæ pertæſus honores,
Militiamq́; grauem Martisq́; horrentia duri
Arma,tuæ meliora pater dedit otia uitæ.
Scilicet aßiduo per tempora longa labori
Quando Hereborde uacas,ſtudijsq́; decentib.inſtas.
Iam tua populeas meruerunt tempora frondes,
Flos iuuenum ſtudioſorum,dilecte ſodalis,
Quem mihi perpetuo Pallas deuinxit amore,
Quem iuuenem præſtans fecit doctrina Magiſtrũ.
Vix duo luſtra tribus iunctis dum conſpicis annis.
At iam quinta tui dum uincit Oiympias æui,
Prima coronati redimis diademata Iuris,
Ad grauis æternos baculi profectus honores.
De quo nulla tibi laurus nec bacca ſuperbi
Nominis autor erat,non quod Bacularius eſſet
Democritum puduit, dij quanti nomen honoris.

Huc

Huc etiam Lupe ſuccedis formoſe, tuumq́;
Vſq; adeo ſtudijs genus exornare uideris
Moribus inſignis, uirtute inſignior ipſa.
Et tamen innocuæ reſtas in flore iuuentæ,
Nomen & ora tuo ſimilis Gerlace parenti.
Te ne ego prætéream? non hoc ſocialia poſcunt
Fœdera non communis amor. tu deniq; fatis
Extinctum referes ut fronte in laude parentem.
Reſtat adhuc primosq́; Leo legit impiger annos
Natus in arma puer, qui nunc Romana ſequutus
Caſtra coronati ſub Cæſaris Aemyliani
Numine (cui duplex uirtus dat maxima nomen)
Militiam ingreditur, patria tam longus ab urbe.
Viue animoſe puer, ſic te fidiſſima nunquam
Lugeat extinctum Latio ſub milite mater,
Sed reducem proprio ſpectans gratetur honori.
Sic tibi non Veneti noceant aconita ueneni,
Non etiam Auſoniæ fraudes, moresq́; Latini,
Sed patriæ uirtus reddat Germanica, qualem
Romuleos nuper te iuſſit adire Penates.
Hoc tua dum ſuperos mater formoſa precatur,
Plena uerecundum ducit ſuſpiria pectus.
Scilicet unus abes patria tam longus ab urbe,
Spemq́; facis dubiam domui ſupereſſe paternæ.
Quatuor his inſigne decus Gerlace mereris,
Stirps tua ſe debet tantis debere fateri
Pignoribus, tanto primis in ſtemmate uerè
Nobilibus quibus inſignem pater extruit arcem,
Iam populis pulchro Leoburgum nomine notam.
Quæ celebri fundata loco, tum propter amœnam

Auræ temperiem uiridi iacet addita pago,
Siue ſub occiduum deflectere lumina Phœbum,
Seu boreæ ſpectare plagam, ſeu nubibus auſtri,
Siue ſub auroræ turbantem finibus Eurum
Forte uelis: patet aſpectus in quatuor orbis
Limina, nec dubios faciunt obſtantia uiſus
Culmina. Sunt etiam terræ florentis honores
Seminibus uarias intercipientibus herbas,
Lætaq; fertilitas latis dominatur in agris,
Luxuriant ſegetes, & humus bene credita reddit
Semina, multiplici ditantur meſſe coloni.
Iuxta multiplici uirides indagine ſaltus,
Et ſacri fontes, & opacæ frondibus umbræ
Sacra Deûm credas lucos habitare ſilentes
Numina, tam culta fulgent breuitate, ſuperq;
Tuta frequentandæ ſeruant conuiuia menſæ.
Scilicet innumeri lepores tua rura pererrant,
Lux & honor ſtirpisq; decus Gerlace redemtæ.
Arx tamen ingenti celebris circundata foſſa
Surgit adhuc, nec tota nitet perfecta, ſed omni
Ingenio cura uigiliq; extructa labore,
Talem ſe primo promittit honore futuram,
Qualem Gerlacus ſapiens concepit: ut olim
Impia manſuram tulit extra mœnia ſedem.
Impia quæ iuſtum uoluit propellere ciuem
Vrbs prius, hoc etenim meruit decus optima uirtus.
Vrbs ingrata nimis: heu qualiter illa recordor,
Hei mihi qualis agit memores iniuria Muſas.
Conticui: neq; iam quicquam loquor, illius ergo
Conticui, proh ſancta fides, tu conſcia teſtis

Incipe,

Incipe, & ô noſtris ſer præmia digna Senatus
Officijs. ſed digna tuli, ſi carcer & umbræ,
Et miſeræ noctes & duræ uincla cataſtæ
Præmia uirtutis faciunt. ſapientius egit
Qui cecinit Latiæ magnis pro ſumtibus aulæ.
Sic apud indoctos cantas miſerabilis Orpheu,
Quæ tua ſacrilegis laniarunt uiſcera dextris.
Nos apud indoctum uulgus cantauimus, ergo
Pœna grauis nobis pro munere contigit, at tu
Vrbs ingrata uale, ſi non ingrata fuiſſes
Mirificum noſtro meruiſſes carmine nomen.
Huic tamen ille adeo Gerlacus præſidet urbi,
Seu nolit ſeu ſorte uelit, cui noſtra coegit
Muſa rudes uario quos cernitis ordine uerſus
Lectores. illo me tempore ſorte ſouebat
Margaritana domus placide, quo Cæſar in armis
Italiam ingreditur fortiſſimus Aemylianus,
Suſceptam imperij ducens in fronte coronam
Cæſarea. tum me patrij Gerlacus honoris
Cultor & omnigenæ mirabilis artis amator,
Et ſtudioſorum pater optimus, illius ergo
Admonuit, quo ſe immortalem reddere uellem
Carminis, exactæ ceſſerunt præmia Muſæ.

IVDICIVM LEVIORIS vulgi contemnendum eſſe.

INuidus has pulchro ſignabit ſcommate Muſas
Multus in hoc uulgi carmine naſus erit,

Quod

Quod cano Margaritæ generis primordia, tanquã
Deſit materia ſplendidioris honor.
At mihi liuor iners ſacras ne tange Camœnas,
Nil ſapis, at multum noſtra Minerua ſapit.
Nil ſapis, effracto ſed polluis omnia guſtu.
Quid uis iudicio Zoile quæſo tuo?
Liuor in Aonium rabidus quòd latrat honorem,
Muſica non ideo nulla Poëſis erit.
Et tibi rumpantur tacito licet ilia morſu,
Scribimus æthereo carmina digna Ioui.
His tulimus ueteri lectum de ſorde nitorem,
Per quem nobilitas Margaritana nitet.
Stabit & æternos decus hoc durabit in annos,
Inuideat Muſis ille uel ille meis.
Fœlicem, ſi liuor edax mea carmina carpit,
Sic par Vergilio Meonidæq; legar.

Exactum celeriter Anno M. D. VIII.
octauo calend. Iunij.

EXAMINA TRIVM auium Mutiani.

SPalatine, do tibi partem aucupij mei: Attagenem, ficedulam, turdum, aues raras atq; eſculentiores.

ATTAGEN EOBANO cantat.

Enſis.

ENſis, equus, thorax ueterani claua trabalis
Principis heſsigenum nobile laudat opus.
Infeſtare timet noſtros temerarius hoſtis,
Nam uirides palmas Heſſus ab hoſte refert.
Horriſono tonat ære, uolant per inania glandes,
Et peragunt partes gnoſia tela ſuas.
Seruatur pietas, Chriſti facit orgia ſancti,
Legitimum uiolat femina nulla thorum.
Spargit opes Cereris fœcundo copia cornu,
Eſt rubus, at denſis uepribus uua tumet.
Hactenus haud fuerant ſtudioſis militiâi,
Qui facili canerent muſica uerba pede.
Armipotens genuit Phœbeos Heſsia uates,
Datq; ſagittifera ſcripta canenda manu.
Qui didicit duro populos frenare lupato,
Illius in tymbra tempus utrumq; uiret.
Impiger Italiæ ceſsit ſermone Latino
Heſſus Martia gens enſe manuq; potens,
Vulda, Lanus, Rhenus, ſed nunc latialiter audet,
Aequat & imparibus carmina priſca modis.
Auſonis ora uale. Bardorum terra Poëtas
Haud hebetes noſtro tempore ferre poteſt.
Primitijs applaudo tuis Franconiaberga,
Nunc tua Eliſſa ſuo te fouet alma ſinu.
Orſa lyræ patriæ nos defœcata probamus,
Heſſe puer ſacri gloria fontis eris.
Me niſi fama globi uatum uulgata fefellit,
Ludis ad auratam uerba canora chelyn.
Impoſuiſſe nefas puero meliora ſequenti,
Vera canam, uincis Teutonas ingenio. Vale.

TVRDVS TREBELIVM
salutat.

Isida reginam coluit Memphitica tellus,
Irrigat & noſtros floribus Iſis agros:
Amiſſum genitrix puerum dum plorat Oſyrim,
Gentis huic noſtræ templa dedere locum.
Siue quod agricolas docuit proſcindere terram
Primus inexpertos Iſide matre ſatus,
Siue quod Iſis erat populis quod pronuba Iuno,
Et ſoror & coniunx Iuno tonantis erat.
Tam celebri tu nate loco contagia peſtis
Effuge, ſuſcipiat laurea ſerta caput.
Nectito Palladias redolentes fronde corollas
Egregius princeps hoc Fridericus auet.
Intermiſſa diu fateor mea carmina ceſſant,
Et uelut hiberno frigore pigra iacent.
Sopitum calamum reſidesq; reſumere chartas
Cogis, & es autor carminis ipſe mei.
Garrula quæ coram fuerat lyra noſtra ſilere
Neſcit, & audaci perſtrepit ecce ſono.
Viue ſub accenſo dum Sol premit arua leone,
Nec capiti noceat pernitioſa canis.
Ludere pimplæo deceat nunc carmine uates,
Quo petis Erigones tempore Phœbe domum.
Triptolemi nunc feruet opus, nunc horrea complet
Meßis, & aßiduo uerbere currit equus.
Nunc uaga per ſtipulas errat cum prole coturnix,
Exoptat tales noſtra culina dapes.

Crine

10175788

Crine grauis barbaq́; comans Hermanne Trebeli,
Recte Heliconiadum cultor amice uale.

ERVDITO ET RELIGIOSO viro Magiſtro H. Vrbano fratri chariſs. S. P. D.

Noſti negotioſum iſtum glorioſumq́; fratrem ordinis Benedicti, quem ais mordaciter dixiſſe uerbis ſuis inconditis & ſono barbarico: Poëtas corrumpere Academias, quod uerum ne an falſum ſit poſtea uidebimus. Is heri dum plebes Deo deuotæ luſtrali roratione maderet, ſtetit in cœtu nobilium profugorum notabilis & conſpicuus. Neſcio quid equites præſidiarij, quid ciues, quid cæteri uiſitantes inſolentiam cœnobitæ cogitarint. Me ſane uidiſſe nollem in tam celebri pompa, quod ſcilicet contra ſuum officium ſeſe oſtentabat uniuerſis. Luſi poſt Euangelica ſtudia poëtica urbanitate in ſpectaculum illud. Exiſtimans autem ſales noſtros tibi amantiſſimo mei fore ſuaues, dari ad te facetoſas eiuſmodi nugas curauimus.

IN EVM QVI DIXIT Poëtas corrumpere ſcholas omnes,

Culpa notanda: pios ſine cauſſa lædere uates,
Atq; Dei donum commaculare nefas.

10175786

Balbe refers ſtudijs uatum monimenta nocere,
Tanquam ſint ſanctis perniciosa ſcholis.
Improbus & cæcus iudex male iudicat, & tu
Scilicet alba nigris anteferenda putas.

DE EO QVOD VVLGO DI-

citur : Quicquid agit mundus mo-
nachus vult eſſe ſecundus,

Exul, arator, eques, ſupplex, nurus atq; puellæ
Spectabant celebri te ſacra pompa, die.
Ecce Giganteus pater affuit, unda fluebat
De grege, nudatum protulit ille caput.
Mirabar monacho cellis exire licere.
O leuitas nullo teſte probanda patens.
Tum lateri iunctus cauſſam mihi promſerat : actis
Oppidicæ gentis ſemper adhæſit amans.
Exul, arator, eques, ſupplex, nurus atq; puellæ
Prætereant, ſuperant noſtra foriq; mala.
Iurgia, barbaries, tumor, ignorantia, Bacchus,
Quæ ſint clericuli facta pianda notas.
Cauda ſalax, lis, uis, lucrum, detractio, faſtus,
Quæ ſint cauſidici munia ſæua tegis.
His tamen obiectum pietas ſimulata cucullum
Prætendit uitijs cautior ipſa ſuis.

AD SPALATINVM.

ITo bonis auibus dextro pede ſidere fauſto,
Felix optatum carpe uiator iter.

Aula

10175786

Aula patet, Spalatine tibi tribuentur honores,
I, te prætereant quæ nocitura putas.

EX EPISTOLA QVA-
dam Mutiani.

MItior est & lenior Eobanus noster, & carmine clarior. Is nuper quæsiuit nunquid ualeat ut ante suum carmen. Ego ut calcar admouerem, quanquam ultro currenti, laudabam olim plausibiliter, & si quid aliud, hoc nimirum callido feci consilio, quia gloria iure dicitur fax mentis honestæ, laudo etiamnum. Quis enim non probaret æmulum Ouidij, tam copiosum ingenium, tantum patriæ decus?

HEREBORDO MARGARITO
Iurisperito, Latinæ elegantiæ studioso, amico fido,

S. P. D.

QVarto calendas Decembris, dum oratores Friderici Ducis præterirent petituri conuentum Cæsaris edicto Vuormatiæ celebrandum, redditur mihi ab equite quodam hæc plena humanitatis epistola Pfeffingeri clari hominis & primi loci inter potentes aulicos. Eam tibi iucundam fore non dubito, quum Spalatini processui faueas & pariter honori meo. Nam præclare agetur cum amico, cui Pfeffinger talis ac tantus studebit. Et profecto ma-

gnificum est me priuatum & indoctis sacerdotibus inuisum, á principe maximo salutari. Nolo dimittas sed remittas ostensa prius hac grata nouitate patri nostro communiter obseruando S. Siluano. Addimus epistolam superioribus diebus acceptam, quæ in ea leguntur non proferes, nam uarias capiunt interpretationes. Prudentis est nosse fanda atq; nefanda: hoc est callere dicenda tacendáq;. Quo magis tibi præcipio, ut sæpe ponderes, quid & ubi loquaris. Præterea titulos literarum sapienter concipe. Idem præcepi Spalatino, paruit meo præcepto, non scribit ostentamenta sicut antea, nolo enim supra modum laudes, sed omnino deprimi ridiculum est. Legunt multi titulum priusquam reddatur epistola. Itaq; dandum est aliquid tergotenus auræ popularí, non quod ipse sim gloriæ affectator, haud equidem tali me dignor honore, ut dixit apud Vergilium Aeneæ Venus, sed ne habeamur apud illiteratos contemptui. Quid autem contemtius quam inuidere consulto Iurisperiti nomen? Itaq; populariter quis appellatur D. Doctor quamq; elegantius sit Iurisconsultum dicere. Hoc totum quod scribo referendum est ad mores huius æui, quos qui negligit seipsum minuit, & eos quos amicissimos habet imperitis deridendos offert. Sed de his hactenus. In sex promptuaria, miscellaneam doctrinam pro tempore sicuti iussi digeres, etiam immundum siue gregarium Papam ne spreueris. scis de quibus loquor. Vale.

Mutianus.

Ad

10175786

AD HEREBORDVM MARgaritum Leoburgium literis & imaginibus clarum, ἔπαινῳ sacrosancti Termini: Ludi literati diuersorum acti excercendi ingenij gratia.

BETA.

MEnsis agrorum finibus
Colonus addit limitem,
Quem gentium ius consecrans
Fixum uocauit terminum.
Hunc exarare non licet
Mouere sanctum est nefas
Seu truncus asper seu rudis
Silex agros determinet.
Hunc uinitor Deum colit
Fœtam recludens uineam,
Clangore dum grues citant
Vitis satorem liberum.
Hunc arua culta prædicant
Aratra cum iugis equi,
Dentale, uomer, falx, bidens,
Stiuæ, nouales, sarcula.
Hunc tesqua siluestres specus,
Arbusta, Pan, Pales, Venus,
Siluanus & paruæ casæ
Colunt ut numen soli.

Hunc regna gentes oppida
Figunt agris ut indicem,
Nam termino plus creditur
Quam testibus grauissimis.
Tu setiger sus abstine
Rostrum, pedes, lumbos, caput.
Stet lege sancta terminus,
Nec sentiat dentes apri.
Agros Deus qui separat
Honore festo dignus est
Choro, fauo, sertis, iocis
Porco uel agno masculo.
Habet diem uigesimum
Mensis sui quem februum
Prisci uocant Piamina,
Quod festa sint purgantia.
Sextus uiator est lapis
Ab urbe Romana colit
Isthic fibris & frugibus
Pubes Latina terminum.
Sed nos lyræ modos tibi
Damus pater sanctissime.
Rus creditum serues precor
Bona (Deus cum sis) fide.
Hoc sufficit pro tempore
Quo clarus Ensifer comis,
Post uirginis sacrum diem
Arcturē te uidit uagum.

TIRO.

Terminus

10175786

Terminus Romæ *ueneratus olim*
Quod Ioui ſummo Capitolioq;
Reſtitit, templi memorant habere
Tecta foramen.

XENOPHON.

Qui non ceſſerat ut rudis Tonanti
Durus quippe lapis neceſsitati
Tandem terga dedit labore feſſus
Vt nobis recitant diſertiores.

OVIDIVS.

Terminus, ut ueteres memorant, inuentus in æde
Reſtitit, & magno cum Ioue templa tenet.
Nunc quoq; ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine poſt illud leuitas tibi libera non eſt,
Qua poſitus fueris in ſtatione manes.
Nec tu uicino quicquam concede roganti,
Ne uideare hominem præpoſuiſſe Ioui.
Et ſeu uomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris,
Clamato, tuus eſt hic ager, ille ſuus.

CORNELIA.

Finibus ut certis tellus regeretur, agreſtes
Fertilibus campis lapides fixere. quid ad me?
Sum catus, & ſtomachi, non cætera numina tracto,
Religio uexet detonſos ruſtica bardos.

10175788

LYCISCVS.

Dic qua materia ſit memorabilis
Quem, mi Beta, canis terminus, an ſapit?
Sum carnarius: iſtos lapides deos
Aßis non facio, mandere quis poteſt?

HERCVLES MV-ſarum.

Termine parua paris, pietas tibi gratior auro eſt,
Fruge lapis modica ſextus ab urbe facit.
Dignus es agreſtes cui menſtrua liba coloni,
Et pueri calathis mellia ſerta ferant.
Tu patrius limes rixæ bona uerba miniſtras,
Dum ſeges in partes ſcinditur una duas.
Legitimo populis niſi ſignes limite rura,
Bachus erit dubius, litigioſa Ceres.
Pace Ceres gaudens cingit ſua tempora ſpicis,
Et decorat ſanctum multa corona caput.
Pacis opus ceſſat, ſuſpenſo uomere mœret,
Nec decorat flauas ulla corona comas.
Flaccida calcatos pedibus negat uua liquores,
Cornigera nullus fronte racemus erit.
Pampineam ſub lite mala non Euius haſtam
Concutit, intonſus nec bona muſta dabit.
Non cyathos numerat uel amicæ nomina potor,
Nec facili titubant Hennus & Elſa pede.
Ergo renidenti cuſtos ponatur in agro,
Separet expreſſa qui lapis arua fide.

EHREBORDO MARGARITO

Iuriſc. amico ſingulari. s.

Dedi

DEdi literas Valentino ad Spalatinum nostrũ, quod item á te factum esse gaudeo, sunt enim amicorũ iucundi sermones merenti solatio, et anxietatem eleuant. scis quam sit inquietus & anxius, non unus mentes agitat furor. Verum est quod scribit Hircius de metu, sed terror hominibus mentem consiliumq; eripit, & membra debilitat. At intestinus terror conscientiam flagellat, quum uehemens sit pœna, ut inquit Satyricus: Nocte dieq; suum gestare in pectore testem. Quanquam sincerior & sanctior sit Spalatinus, quam ut teste conscientia redarguatur. Castigaui falsam illius opinionem, de eo, quod aulam exilio, tanquam aut relegatus aut deportatus esset, temere comparauerat. Salsum est carmen & plenum urbanitatis.

Valle cupis uasta semper Spalatine iacere,
Aula tibi fœdis durior est Gyaris:
Quod miseram Torgæ præfers in honore Seriphũ,
Exilij sterilis pergis obire iuga.
O Corydon Corydon, foueat te mensa ducalis,
Momus in obscœna ualle moretur iners.

Credo resipiscet perlecto tam lepido epigramma te. Ego miror & dubito cur taceas, num libros acceperis? Vrgere non cesso sacerdotulum & instare ut opus absoluat. Quis est interpres Dionis historici, quid habet lex Imperatoris de tollendis caducis? Cicero uocat Cn. Fabium quem Pomponius noster, ut puto, Cn. Flauium. Hæc uel præsta uel nega. Vale. Datum in crepusculo, senis abitum Benedicto nunciante.

Here-

HEREBORDO MARGARITO
docto & claro iuueni suo amicis. S. P. D.

SAepe salutatus quid agis? cur non resalutas?
Solstitio nugas dum legis ipse meas.
An graue sub domini nutu tibi degitur æuum?
Rusticus ut uerses pingue bidente solum.
Collige de tribulis & legum sentibus uuas,
Mutuus æternum te mihi seruet amor.

Si animo, si corpore uales, gaudeo. Aêr liquidior recreat ingenium. quod stylo exerceas, nisi occupatior sis lector & notarius quam ut scribas. Ego Abbæ hortatu carmen nuper composui, nihil commuto nihil præteritum est, addo quædam, nihil tersius fingi potest. Non sinit me pudor longiore epistola præloqui. Quare scribi á me uoluerit, dicet Abba. Vale.

Sanctus & armipotens recutito patre creatus
Dauid, palmiferis qui gentibus imperitauit,
Bella, Deum laudans cecinit sublimia uersu
Præcipuò Solymis. ubi postquam dogmata Christus
Instituit noua, tunc urbes & regna replebant
Carmine Dauidis celebri sanctiq; pudoris.
Vnde etiamnũ Psalmographi bona uerba leguntur,
Ante Dei delubra choro, qui numen adorans
Christe tuum uersat uel inenarrabile carmen,
Quo duce siderei limen penetramus Olympi.

Item.

10175786

ITEM.

Pande ſalutares cœleſtia ſacra tabellas,
Commoda diuini multa tulere chori.
Dauidis Canonas ſapiens imitare canendo,
Septena repetens in ſtatione preces.

ITEM.

Quisquis orabit pietate caſta,
Ille ſub conclauibus aut in æde
Amputata garrulitate, promat
Verba Prophetæ.
Verba quæ bellis numeris ligauit
Rex pius Dauid, recitent ſacrati
Ordinis patres, recitet iuuenta
Clara coronis.

ITEM.

Vatis Pſalmographi non eſt ignobile carmen,
Auxerunt ſacras præmia magna preces.
Pro pietate datur cœli poſt funera regnum.
Lectori pretium ſummus olympus erit.

ITEM.

Cuſtos pij Dauid gregis,
Pſalmos canebat inclytos,
Hebræa gens quos cenſuit
Toto colendos pectore.
Nec errat hac in ſemita,
Mittunt recepti ſub iugum

Chriſti

10175786

Christi colonum simplicem
Purgantq; conscientiam.

ITEM.

Tortilis immanem subigebat funda Goliam,
Iesseas cithara pastor agebat oues.
Huc ades & funda uerborum sterne malignos,
Errantem cithara uate ciente gregem.
Viue cultor Psalterij.

HEREBORDO SVO
Iurisc. præclaro.
S. P. D.

RAra & notabilis res ne dicam atrox Erphurdiæ contigit. Os Solani nostri male percisum est, nõ dico præcisum, pulsatus à Petro par pari retulisse dicitur. O culpabilẽ audaciam. Magistri titulum Philosophi illi decreuerunt, gaudebam, sed hanc nouam amplitudinem licenter polluit hospitalem Iouem uiolans. Petrus acetum pro iniuria promens comminatur. Timendus est Henningus uir summus. Apud te & Crotum expostulent iniuriam, tua cognitione fiat præiudicium: ut uterque etiam si X. habeat linguas, mutus sit, & recondat uerborum aculeos. Teneat Solanus noster Pacuuij sententiam: Grandem atq; atrocem coerce confidentiam. Teneat Petrus præceptum Apostoli: Non uosmetipsos ulciscentes charissimi, sed date locum iræ, &c. Si me appellauerint dicam: Accio idem quod Titio apud me ius esto. Vel saltem illud Vergilianum:

lianum: Non noſtrum inter uos tantas componere lites. Vale.

CARMEN MVTIANI ex Germ. prouerbio expreſſum.

Non manet æternum placabilis aura potentiũ,
Aprilis crebra mobilitate nocet.
Improba fallaci garrit de pectore Thais,
Nec retinent florem lilia uerna diu.
Degenerat ſubito ſonipes feritate ſuperbus,
Ac ſimul intonuit deperit ipſe canor.
Hæc homines fallunt temeraria uota puſillos,
Qui ſapit, intrepidus conſtat ubiq; ſibi.

ITEM.

Gewalt gelt vnd gunſt / krenckt recht ehr vnd kunſt.

Acris, honeſtatis, recti præcepta, decus, uim
Conculcant, ſuperant, ſpernunt fauor, æra, potẽtes.

ITEM.

Viel Hunde beiſſen einen.

Si canis in multos, ſæuis uiolentior urſis
Incidit, extemplo fit lepus & timidus.

DE EODEM.

Acer & indomitos canis allatrare leones
Qui potuit, turbæ dat ſua terga canum.

In

IN ANCHORAM
Manutianam.

ANchora fluctiuagis ſpes certa ſalusq; carinis,
Dum laceras iactant uentus et unda rates,
Illius Adriacus ſignatus imagine codex,
Dignus erat nummis lector amice tuis.

D. VRBANO ET M.
Herebordo S.

ANno ſalutis M.D. IX. ante Martiam ſuppli-cationem curſor quidam Vuldani cœnobij a-pud ſubſellia canonicorum uolumen ſubito depromſit, & ſtatim proiectum expediuit. Mirabar putans aut inſanire curſorem, aut haberi nos ludibrio. Eram enim nec prudens nec ſciens ſed penitus rudis huius rei ſpectator, Itum eſt in ſenatum, dictæ ſunt gradatim ſententiæ. Ibi reuelata ſcena, quid ſibi uellet, edoctus reputaui mecum religionem ipſam multis auctorem fuiſſe colligendæ pecuniæ, atq; id genus capitaliorem auaritiam, quæ per ſpeciem pietatis graſſaretur: Argumento eſſe nuntium præſentem, qui inania mortuorum nomina collecturus obtuliſſet palam omnibus membranam pergamenam, ea ſcilicet lege, ut repenſa ſibi ſtipe uita functos ſeptennio deſcriberemus. Quare luſimus in hoc ſordidum aucupium his uerſibus:

Miſsile per templi proſerpens ſepta uolumen
Albæ Vuldani, quid nouitatis habet?

Sic

Sic ego: linigeri referunt, membrana gregales
Sutilis hæc ſtygij continet ecce lacus.
Pro ſtipe Cartophylax umbris ſpondere ſalutem
Perpetuam miſeris (tu modo crede) poteſt.
Scorteus ad nigrum mittatur porthmea nummus,
Credentes poſcit portitor æra Charon.

Der alt Schiffherr Charon mit ſeinem grawen bart/
Samlet ein ſeine ſchuld/zel auff/ hie iſt die fart/
Man ſtelt vmb vnd vmb dem Geld/ das iſt nicht new/
Geh auff geh ab/ das gut vnd gabe/ hat nirgend Rhew.

Hæc poſt ſeria remittendi animi gratia ſcripſimus.
Valete.

HESTERNAE FAMILIarium cupediæ.

CVM bonæ atq; ſinceræ uetuſtatis amatores quarto idus ſextilis forte fortuna apud Gothã conueniſſent, & ſecundarum menſarum quaſi quædam tragemata, ne aſymboli forent, uerſus puris honeſtiſq; uerbis deducerent, uniuerſis riſu & clamore, ut fit, feſtiuiter exultantibus: Placuit Poëtæ Celtis ſacroſanctos manes uenerari. Itaq; talia ſingulorum fuere ſymbola:

HESSVS PROMTVS AC proficiens iuuenis, ſic ſui periculum ſubitaria dictione faciebat.

Lector aue, magni reliquum uiſure Poëtæ,
Quo fuit in toto doctius orbe nihil.
Hac humili doctus requieſcit Celtis in urna,
Quem merita lugeat Muſica turba chely.

ISIACVS TREBELIVS HEdera redimitus, etſi naturæ triſtioris, exhilaratus tamen tam lepidis ſermonibus bellaria dedit.

HEu perijt Celtis Germanæ gloria terræ,
Qui primus noſtro lauriger orbe fuit.
Defunctum uita doctæ fleuere ſorores,
Celtica poſt ſtruxit triſtia buſta cohors.

MARGARITVS CVM AD EVMuentum eſſet, qui ipſius candor & quæ eſt facilitas, ſic ſcripſit:

FLete malos populoſq; rudes & inania corda.
Poſſidet Elyſios, credite, Celtis agros.
Non moritur tanti uatis pia Muſa, ſed omnes
Cantabunt ſeræ poſteritatis opus.

EFFVDIT ET PYRRHVS nonnihil ſubmuſſando.

Qui primus uiridi cinxit ſua tempora lauro,
Dædala Cunradi carmina ſemper erunt.
Ambroſia fruitur uel nectare Celtis odoro,
Et Ganymedea cum Ioue uina bibit.

Celtis

CELTIS LOQVITVR.

O quoties Celti domus est promissa Tonantis,
Hei mihi pro cœlo qualia tecta patent.

BONO ET BONIS LITERIS erudito Georgio Spalatino suo.

Vt legi scriptas abs te Spalatine tabellas,
Non erat ut facerent carmina nostra moram.
Messpila quot uallis quot robora silua Georgi
Educat, & lepores quot tegit & uolucres:
Tot tibi pro libris grates debere fatemur,
Qui Latia nusquam non probitate nitent.

In uallem ueniunt Georgianam
Qui de barbarica cohorte nomen
Aeternum peperere cum triumpho.
Regis prima manus polita Vallæ
Hostes sustulit & iugo ligauit.
Magnus subsequitur Politianus,
Codrus Centurio, comes Philippus,
Post Antonius ille miles. Isti
Sub signis Critici ducis triumphant.
Flos Vrbane patrum sacri senatus,
Et lector Spalatine monnachorum,
Tyrones procerum boni ducatum
Si pugnare libet sequi licebit,
Nam uexilla ferunt latinitatis.

10175786

Vallis umbrosæ Spalatine cultor
Et scholæ caluæ decus ac magister:
Sero Vallensem tamen exhibemus
Et tibi Codrum.
Vnio fulgens Leoburgiorum,
Splendor & uindex studij Latini
Viuat in longos Herebordus annos
Alite dextro.
Ecce de nobis bene quam meretur,
Vtiles libros simul & probandos
Dædalos, raros, ueteres nouosq;
Mittit amicis.

DE CÆDE SHCOLASTICO-
rum ad Isennachum dum lusum
itur in nemus.

EDidit horrendã cædem lux proxima Martis,
Isidos ah nimium sylua cruenta fuit.
Mira loquar: pueri grandisq; scholastica turba
Non gladijs frondes sed sibi membra putant.
Vulnera quid memorẽ? homicidia quinq; notantur,
Sanguinea reliqua diffugiente manu.
Turre iacent septem media de cæde recepti,
Semineces artus uix recreante polo.
Lanificæ sæuis digitis nent multa sorores,
Fataq; terribili singula falce metunt.
Vale & salue.

Mutianus Rufus.

In ora-

IN ORATOREM VENETVM nuper Mediolani viſum.

Forma uiri ignoti uiſa eſt mihi forte roganti
Quis foret, orator plebs ait eſt Venetus.
Vitta coërcebat germano more capillos,
Velabat Venetum Gallica criſta caput.
Et thorax Hiſpanus erat, Romanáq; ueſtis,
Quærenti, uarius quid ſibi uult habitus?
Rettulit hoc omnis, rapuit prædator, ut omne
Quod tenet imperium quid niſi præda fuit?
Verus ego uates, faucant modo numina uati,
Aeſopi merito graculus alter erit.
Vittam Germani rapient, at Gallia criſtam,
Thoraca Hiſpanus, Martia Roma togam.

ECLOGA PASTORALIS.

Flatus inæqualis digito cui notus & aure
Ruſtica ſolle premens tumefacto ſibila, paſtor,
Lanigeras Eobanus aues quos coget in agros?
Tempore quo pecudes penetrabile frigus adurit,
Et Boreas pluuio contriſtat frigore rura,
Paſcua gramimbus ſpolians & robora fronde,
Et tempeſtates ciet ater ſcorpius ortas.
Edita nonne uides fumare cacumina montis,
Dum fera uis uenti per crebra foramina mugit.
Eheu per ſcopulos & per deſerta uiarum
Molle pecus agitat hyemem ſubiturus aquoſam.
An poterit grandes fœni portare maniplos?

Barbarus an late pandet fœnilia campo?
Aut ubi ſuccedet ſtabulis? caſa frondea non eſt
Apta domus: rigidis marceſcent ubera mammis,
Et ſi defuerint alimento caſeus & lac,
Acer Hylas fiduſq; Lacon fortisq; moloſſus
Intereunt, ſimul & dulces cum matribus hœdi.
Tantum Ripheæ lædunt mala frigora brumæ.
Multaq; præterea peregrinum damna ſequentur.
Quo magis ut ſapiens optabit idonea uitæ,
Heßia ſilueſtris gregibus ſuauißima tellus
Fert cytiſum, uulgo ſaturant ieiunia ſaltus,
Barbigeri pecoris complent examina uillas
Lactis abundantes, grauido fluit ubere mulctra:
Candida Nais adeſt, ſua per iuga currit Oreas,
Per montana Pales, per paſcua prata Napeæ,
Per nemus omne Dryas, per ouilia blanda Lycoris,
Pan ruber exaudit recitantes iubila Faunos,
Capripedes Satyros, & cornigerum Syluanum.
Paſcat oues patrijs in finibus ergo Menalcas.
Adde quod, ut fama eſt, habitat Deus ille Caſellam
Montibus Heßiacis, cui cordi eſt Muſa Menalcæ.
Magniloquo formoſa uiro coniuncta halierna
Ante alias felix fuluoq; beata metallo,
Dignaq; Lampſiaci faueat cui glans Ithyphalli.
Exercet uiridis præludia prima puellæ
Legitimum cupiens fœcundo ſemine uentrem
Compleri: pulcram faciat Lucina parentem.
Nil negat Englendro Nemeſis niſi pignora docto,
Pignora conſulti referant qui patris honores.
At dabit alma Venus natorum cernere natos.

Vel

Vel quia muneribus uates ſuſtentat egentes,
Vel quia quicquid habet dederat natura decoris.
Ite greges auibus dextris & fulmine læuo,
Flumine Vuldano, lanas halerina lauabit,
Iníq; bonis ſtabulis dulci uos gramine paſcet,
Paſtoris gracili contexta poëmata filo
Cantando, teneris preſſans ouis ubera palmis,
Aureolis uati cinget quoq; tempora ſertis.
Non cuſtos pecoris uentos horrebit & imbres,
Sed ſalient niueæ pecudes ſimæq; capellæ.
Vinitor ut legit lentis de uitibus uuam
Hæc data ſunt tepidis muſto ſpirantq; lacunis.

Ex inferna cœnatione natali
Virgiliano.

C. MVTIANVS RVFVS EO-
bano ſuo Melicorum
candidiſs.

S. P. D.

SVperioribus diebus Trebelio homini utriuſque noſtrum ſtudioſo dedi ad te deductos elegos, non enim res familaris Epicis erat exponenda uerſibus. Et dedi eo potiſs. conſilio, ut quæ tua humanitas eſt, reuerenter abs te ſalutatus reſalutarem. Nunc ad extremas calendas Septem. puer illius à pedibus ingenioſos, faciles, uenuſtos uerſiculos tuos mihi

reddidit, teſtes & indolis optimæ & culti ingenij, & amoris erga me tui, & eruditionis atq; adeo latinitatis caſtiſsimæ, atq; ita refertos ſublatis affectibus, ut omnes omnium Lyricorum ſanctas Veneres & gratias prouocaueris. Itaq; me quum uoluptate tum uero admiratione quadam affecerunt. Dixi: nefas eſſe imponere puero meliora ſequenti: Idipſum non ſolum ſentio, ſed etiam approbo, abhorrens ab omni impoſtura & ludificatione. Tantum igitur abeſt, ut te demerear aſſentationibus, quæ non cadunt in mores Mutiani Philoſophi atq; iſta popularia cõtemnentis, ut etiam laudem propriam, non minus quam adulantium blandicias, ſuſq; deq; feram. Quo magis mi adoleſcens gaudere debes iudicio meo, dareq; operam ut utriuſq; linguæ præſtantiſs. auctores uaria tibi multiplicíq; lectione uel digitis tuis notiores efficias: Neq; enim concludere uerſum dixeris eſſe ſatis, ut inquit Horatius. Eſt operæpretium tractare totam encyclopædiam, noſſe præcipue ueterum probatas hiſtorias, deniq; ab ea Philoſophiæ parte, quæ de moribus præcipit, mutuari non nudam tantum, ut complures, rerum cognitionem, ſed, ut pauci, grauitatem morum uitæq; innocentiam. Etenim ut multiſcium ita probum atq; modeſtum eſſe decet pium Poëtam. Alioquin opici Momi habebunt nos ludibrio, & in auditorum examine cœtuq; doctorum uexabunt tanquam ridiculos & nota dignos cenſoria. Nam diuinum Poëtæ nomen, neſcio quibus Cacodæmonum aſpirationibus, inuidioſum eſſe cepit. Quid fiet ſi amatores antiquitatis

10175788

tiquitatis à uia uirtutum aberrauerint? Plus nimirum exemplo quam peccato nocebunt. Amameum Herebordum Margaritanæ domus ornamentum ſingulare. Is te amabit mutuo, & literis ac meritis adiuuabit. Eſt enim eruditiß. humaniß. politioris literaturæ & literatorum omnium amantiß. Vale. Die diuo Rufo Martyri ſacro.

EOBANO HESSO FRANcobergio Poëtæ & Ludimagiſtro celebri ſuo

S. P. D.

VT nouus hic annus tibi mihiq; procederet auſpicato, dixi hodie uoto antelucano: Phœbe pijs faue Poëtis. Atq; hæc Eobane ſupplicatio ſit inſtar Xeniorum. Herebordum meis uerbis admoneas, ut in bibliopolijs perquirat libros Franciſci Zabarellæ. Item commentarios in Ariſtotelem Ioannis Stapulenſis. Vterq; mihi commendatus eſt: imo ut uerius loquar apud me poſteriorem illum non uidi, Vuilhelmus hic ait ſtudioſum fuiſſe latinitatis. De priore ſic Laurentius Vallenſis in opere antidoton. Vir eximius & iure Pontificio interpretando, ut aiunt, nulli ſecundus Franciſcus Zabarella. Vale doctißime pœdagogorum, & chorum colurno Scipione feliciter tempera. Non auerſabere nomen pœdagogi, uel regum præceptores pœdagogi uocantur. Plinius refert Alexandro Magno in puericia ſine parſimonia thura ingerenti aris, pœdago-

gum Leonidem dixisse, ut illo modo cum deuicisset thuriferas gentes supplicaret. At ille Arabia potitus thure onustam nauim misit ei, large exhortatus ut Deos adoraret. Nobiles historici tradunt Aurelianum Imp. à populo Romano dictum fuisse pœdagogum Senatorum. Olim paulo ditioribus pueris non solum pœdagogi adhibebantur, sed & capsarum custodes, qui capsarij appellati fuere. Vlpianus noster titulo de manumissis uindicta, interpretatur capsarium fuisse eum qui libros portet. Aliter accipitur lib. 1. digestorum, ubi de officio præfecti uigilum hæc uerba leguntur. Aduersus capsarios quoq; qui mercede seruanda in balneis uestimenta suscipiunt, iudex est constitutus, ut si quid in seruandis uestimẽtis fraudulenter admiserint ipse cognoscat. De his non loquitur Suetonius: Constat quosdam cum pœdagogis & capsarijs uno prandio pariter necatos. Amor uetustatis huc me compulit, ut tibi amico demonstrarem te pœdonomum, ut Plato diceret, & pœdagogum esse. qui uero ciuium pueros custodiunt quod abcdariæ capsæ præsint recte capsarij nominantur, quanquam siue domi siue in pœdagogio & literaria palæstra tua doceant etiam pœdagogi, quod Quintilianus innuit, dici possunt. Vides quales dem ineptias, sed eæ nugæ sunt argumenta beneuolentiæ & amoris. Iterum uale. Ex Gotha Cal. Ianuar.

Mutianus R. D. Doctor.

Magistris

MAGISTRO IO. VENATORI
Comitum pœdagogo, & Herebordo Margarito Iurisconſulto, viris eruditis.

S.

GRatum eſt quod ſcribis Venator de galeatis leporibus, hoc eſt ranis Adriaticis, de quibus inalpinæ gentes neruoſæ & hircoſæ triumphant. Nunc deſinant Itali noſtrates inſimulare, culpare, mordere commentitijs opprobrijs. Sentiunt Rhetorum numellas, compedes, gladios, iacula, uirtutem. Dijs gratia quod ſecundiſſimis auſpicijs & euentu memorabili pugnatum eſt. Eobanus noſter gloriæ ſtudio flagrans lauream petit. laudabilis ambitio famæq; cupiditas, dignus iuuenis cui optata concedantur. In Epigrammatis eius mirifica feſtiuitas uerborum ſtructura belle ſyllabas tetendit, belle corripuit, belle pedes compoſuit. aptus ad exprimendos Veneres orationis, ingenio facili & eleganti, denique, ut uno dicam uerbo, bonus Poëta. Quis tam obtuſo ingenio eſt, quin intelligat nihil illius poëmatis exaggeratius moderatiusq; fingi poſſe. Meretur igitur ut quam affectat aſſequatur gloriam. Verum an nunc tempus ſit petendæ coronæ, ſtatuere nequeo. Illud ſcio nolle principes ſeria inter ludicra tractare, uenturos Erphordiam ut genius colatur. Tu uero Hereborde quid ſentis? Rectius à nobis ageretur, ſi Reimboti oratoris reditum aut Birmoſti bonam ualetudinem expectaremus. In bis duobus conſulis

10175788

sulis prora & puppis studiorum consistit. Cæterum Eobanus *adeo festinat, adeo me urget, ut leniter & placide moram non sit laturus.* Conqueritur *de obtrectatoribus, & uidetur de me male sentire.* Vos *adolescentes respuitis amicam obiurgationem, & non cogitatis quam simpliciter uobiscum agam.* Proinde neq; te neq; Eobanum posthac erroris admonebo. Integer sum, egi Quintilium, sed uos pias correctiones uenena ducitis, utinam non mala, à quibus tantum abest Mutianus, ut grauiter feram dubitare uos, atq; ita ut assignetis mihi apertas blanditias & clandestinos aculeos. quasi uero non sim qui tamen sum. Valete. Ex Gotha uisitationis die, Anno salutis octauo.

EOBANO HESSO FRANCOberg. inter Lyricos Pindaro Neotericotero.

MVtianus salutem dicit. Acquiescis iudicio meo, & ego te non fallam. Scripta quidem tua non improbantur, es enim ingenio ueloci, acuto & totius artis Poëtices, quæ procul dubio diuinitus est inspirata, capaci: imitatione paratus, quam merito Quintilianus partem artis appellat, uarietate promtus, lectionibus perpetuis instructus, usu scribendi exercitatus. Habes Ephebus tantum laudis & gloriæ, quantum etiam canescentes Poëtæ non assequuntur. Pulcherrima Thalia non minus quam disertissima Πάλλας te benignissime fouet. Trahit

Deus,

Deus alios alio modo, te uero per ſacroſancta carmina ſublimem rapit, uti Prophetas & Sibyllas. Fac igitur dominici crediti cuſtos & nectaris atq; Ambroſiæ miniſter, ne per otiũ bacularianis inſignibus acceptis elangueſcas. quin age tecum habita, & collige uerſus paulo accuratius ſcriptos atq; in uolumen coactos ede. Legi nuper motum repentinum inter ſcholaſticos & operarios tabernariorum, reſpectare uidebar tumultum iſtum, ita rixæ pugnæq; commiſſæ ueram imaginem expreßiſti. Poſt unius hebdomadis interuallum legi diſcurſus & errores ultraneos condiſcipulatus tui, quam peregrinationem metu peſtis ſuſceptam uelut exilium ſic deploras, ut ex animo lugere uideare. Epiſtolis item ad me tuis plurimum tribuo. Quare ſcripſi ad Herebordum, hominem eximium, amicum rarum literatorum, mei amantiß. quid tandem fieri placeret. Eum, ſi tuæ gloriæ conſultum eſſe cupis, confeſtim adeas, dabit enim tibi meis uerbis conſilium honeſtum, illuſtre, iucundum & utile. Veneratur is Poëticen ipſam, ut qui ſanctißime, teq; ſimul, ut qui maxime diligit. Vale. Cal. Octob. An. M. D. VI.

PETRO APERBACHO
Philoſopho & Medico amico honorando
S. P. D.

Singularem adhibes in epiſtolis cautionem, ut etiam ſi interceptæ fuerint nullam calumniandi occaſio-

occaſionem ridiculus cauillator deprehendere poſ-
ſit. adde huic uirtuti manſuetudinem & lenitatem
poſita pertinacia & ſeueritate. Oro te exorari ſi-
nas, da ueniam percuſſori, indulge precibus amico-
rum. Obiurgaui Eobanum tutatusq; ſum tuam in-
nocentiam, emendatum eum credo & tibi ſatisfa-
cturum. Scripſi de concordia ad Sigilliferum & ad
Crotum, hos meos oratores fac ut exoratores fuiſſe
gaudeamus. Vnum eſt quod culpare ſtatui, cætera
laudo, & agam gratias ſi ἀμνησίαν receperis. No-
tandum eſt miniata cerula quod ſcripſeris: Egeſto-
ſo Poëtæ, quaſi uero diuitias in uate requiras. Ex-
cidit hoc tibi per imprudentiam, itaq; non appono
nigrum calculum, quia lubricum linguæ, ut ait Mo-
deſtinus noſter, non facile ad pœnam trahendum
eſt. Nunc diſpiciamus quæſo, num Poëta poßit aut
eſſe aut dici beatus. Scribit Vlpianus naturaliter
bona ex eo dici, quod beent, hoc eſt, beatos faciant.
Diuitiæ enim effectrices ſunt rerum magnarum, ſed
ne locupletes demum beatos uocemus, ſciendum eſt
cantilenam Platonis in Gorgia exprimere uim bo-
norum. Cantabant enim in conuiuijs antiqui, ſicut
te legiſſe non dubito, optimum eſſe bene ualere, ſe-
cundo loco formoſum eſſe, tertio habere diuitias nul-
la fraude partas. Hæc tria bonorum genera, qui
cum operatione uirtutis poßidet, ab Ariſtotele be-
atus appellatur. Etſi Solonis & Theologorum ſen-
tentia mortalium nemo ſit ante obitum beatus. Qui-
bus ſuffragari non obſcure Plato uidetur, ita ſcri-
bens: Non equidem homines felices beatosq; effici

poſſe

posse reor, dum uitam uidelicet hanc mortalem, tiuuunt, paucis admodum exceptis, optima tamen spes est posse mortuum omnia consequi, quorum caussa & honeste uiuere, quantum humanæ uires patiuntur, & mori honeste uoluit. Sed qui sunt isti pauci an Poëtæ? quos censuit urbe depellendos, nec iuuentuti permittendum ut eorum libros lectitarent. quos Cato censorius grassatores uocabat. An Philosophi? quos idem Plato dignos putauit qui imperarent, non intelligens illos uestros dialecticos, sed eum de quo sic loquitur: Est præterea, inquit, Philosophi uoluptates corporis repudiare, animo studere, pecuniam quasi rem exiguam & Philosophi magnitudine animi indignam contemnere, mortem non formidare, iustitiam colere, constantem, fidelem, modestum, benignum, facilem, ingenioſum, memorem, iucundum, elegantem tum natura tum industria festiuum esse. Cæterum ciusmodi Philosophus coruo est rarior albo, ideo pauci sunt felices & beati in hac uita, quid ita? quia pauci uera bona dignoscunt. Clamat Satyricus, omnibus in terris quæ sunt á Gadib. usq; Auroram & Gangen, pauci dignoscere possunt uera bona. Multifariam tamen dicitur beatus apud authores, quia bonorum genera sunt multa. Stilbon bona sua secum portauit in pectore, aliter dicitur: Vetulæ uesica beatæ, id est, diuitis. Nosti libram Critolai. Horatius inquit, Nil admirari prope res est una, Numiti, Solaq; quæ possit facere & seruare beatum, Sed non est opus in re testatá uulgataq; testimonio, infinita prope sunt

de hac

10175786

de hac re ſcripta. Sequamur Ciceronis conſilium: Caduca ſemper & mobilia hæc eſſe duxi, non uirtutis atq; ingenij, ſed fortunæ & temporum munera, quorum ego non tam facultates unquam & copiam expetendam putaui, quam & in utendo rationem & in carendo patientiam. Quare Poëtæ uel inopi faueas ut eruditus atq; doctus, uindictam remittas ut Chriſtianus. diues olim Lucius Neratius ſæpe dedit hanc pœnam, hoc titulo damnatus: V. Q. A. L. P. S. quid memorem pœnam talionis? Quid leges de iniurijs? Manſuetudinem amplectitor & diu uiues. Valeant maledici, percuſſores, carcerarij, cerebroſi, ſcurræ, paraſiti, nebulones. Tu bene ualeas. Ex Gotha raptiß.

Mut.

HEREBORDO MARGARITO doctrinæ morum ingenij & familiæ gloria nobili.

S.

QVinto calendas Auguſti circiter introitum ueſperæ literas tuas & partem unam ciuilis diſciplinæ nec non Pomponij neſcio cuius Poëmation, & Eobani noſtri ſcitum Carmen accepi. Scribis Hereborde, ut in anquiſitione tibi aßignata ſuccurram, donas etiam mihi pulchrum opus epiſtolarum, & qualis ſit ſubornator iſte ſemigræculus quaſi à capite denarras, teq; ſtudioſum eſſe noſtri teſtaris. Nemo eſt tam indoctus, tam brutus atq; rudis, ut

non

non fateatur me aperti & ſimplicis ingenij, quum me nullum uel ambitionis uel diuitiarum ſtudium inflammet. Deſerui maturo iudicio faſtum & popularitatem, ut omni animi affectione carens ſine tumultu uitam agerem. Quid igitur in mentem uenit nouitio literarum profeſſori, ut de me non ſentiat quod ſentiendum eſt, an detraxi naſutior? non feci. an obiurgaui? profecto minime. Non eſt Mutiani canina facundia, eruditos ex æquo diligit. Deniq; Magiſtrum illum quem nominas nullo modo credam amiſſa fronte naſum tantum habere. Itaq;, ſi me amas, melius interpretare quod fecit. Miſit Epitaphium longe alijs uerbis quam impreſſum extat. Explicaui binis literis. Vnas ad te, alteras poſtridie ad ipſum dedi, quum nuncius poſtularet, teq; ut adiret monui. forſan per ingenuam uerecundiam non appoſuit nomen, Quanquam quis eſſet, dum ſcriberem, prorſus ignorarem. ob id factus eſt eiuſmodi titulus: Conſultori anonymo non tamen contemnendo. Noli mi Hereborde temere talia prouocare ingenia. Memoria iniuriarum immortalis eſt, rari ſunt qui ſoleant iniuriarum obliuiſci. gere perſonam Hannibalis, qui fraude & aſtutia uicit Romanos, hoc eſt, diſſimula & fer quorundam inſolentiam. Neq; enim nobis ullam notam inuſſit, cum egregiè teneam Græcorum διαλέκτους, & utcunq; Orphei Epitaphium detritum ſit, & pueris ferè notum. Sin autem citra meam culpam nos inuadere tentat, abſentem morſitatim & petulanter compulſans: aut mores mutauit, aut ſibi gloriam ex criminatione quærit,

aut huiusmodi propositum suis rebus conducere arbitratur. Ego contra quid moliar? Ridebo & flocci faciam, immo ne pili quidem male literatum. Satis clarus est labor noster, satis perspicua doctrina, ingenium satis nobile, uelint nolint osores & manipuli factionum. Verum est illud Senecæ: Inuadit temperatissimos morbus, ualidissimos phthisis, innocentissimos pœna, seuerissimos tumultus. Item issud diui Hieronymi: Etiam latentem inuenit inuidia. Nam probus, innocens, doctus sæpe male audit, & tanquam nocentissimus culpatur. Verum hactenus de consultore importuno. Non me lacerat, consuluit, accepit responsum sed obiter. Si plura desiderat & bonus est, copiosius scribam. Tu quoq; debes Hereborde non leuiter succensere. Ludat quisq; de suo corio. Punctulum innoxiæ pilæ non lædit. aranearum casses non illaqueant homines. Non omnia placent omnibus. Scio paucos sectari, plurimos insectari sectam nostram. Præsens Epitaphium dicit: Hæc tumba habet diuinum Poëtam, Orphea animam & cœlestem lyram cœlum. Notissima sunt Græca uerba. Quod autem lyra Orphei sit inter sydera relata, testantur Aratus, Ouidius, cæteri:

Illa recepta polo ceu quondam saxa nemusq;
Sic nunc stelliferis agit aurea cornibus astra.

Illud uero quod habes facit mentionem de quodam Epitheto Græco, quod est ἄοτλον, sic enim dictus est Orpheus, quod scilicet mulierum Thressarum sæuitiam tolerarit. Vnde est illud uulgatum:

An iuuenem postquam Thressarum iniuria matrum

Frustra

Frustra suaue melos frustra pia uerba mouentem
Dissersit totis lacerum furialiter agris.
Vellem supprimeret carmen illud utpote si introspicias obscœnum & nefandum. Fugienda est talis solertia, castum esse decet pium Poëtam. Sed hoc non perspicit in carmine Grammaticus noster. Te hortor ut hæc ipsa silentio tegas ut Eleusinia sacra, & modeste dicas persuadeasq; , ut abstineat ab illoto, fœdo & spurco carmine, in quo non est elegantia, non eruditio, sed quædam lasciuia uerbis rusticis inuoluta. Et reuera stupra fuco & coloribus indigent. Cur non profitetur Eglogas præstantissimorum uatum Virgilij, Theocriti, Calphurnij, Baptistæ. Nouitas & opinio de se sua peruertit hominem, & falsa scientiæ persuasio. Mihi magis placet Eobani inuentio. Non mentiar profecto, noster ἐποποιὸς nõ quærit laureolã in mustaceo, sed stimulatus poëtico diuinoq; furore, quẽ Græci uocãt ἐνθουσιασμὸν, effundit admiranda carmina. diu ualeat bonus adolescens, & scite scienterq; scribendo nomen sibi suisq; cõparet, contemtis rumigerulis et curiosis sophistis, qui nonnunquam obstrepunt tersitudini Theologiæ, hoc est, poêticæ. Prisca enim Poëtica, autore Strabone & Augustino, theologia fuit & hymnos Deorum continebat, de qua re latius dicemus in quæstionibus tuis. Nam præformabo tibi commentarios ex thesauro memoriæ, quia libris non abundamus, atq; ita præformabo ut obstupescant barbari. modo digito compesce labellum, ne mordeamur opprobrijs. Esto securus, dormi in utramq; aurem, subsidium

10175788

immo præsidium accipies. Faciam intelligant Theo=
logiã indigere adminiculo eloquentiæ, magis quam
Dialecticæ, & simul ostendam laudes sacrarum lite
rarum, & Rhetoricen laudabo & cætera, ut Ari=
starchum aut Gorgiam aut Cratetem criticum non
sis desideraturus. Vtdeam theoremata expectatoria,
quis est disceptator honorarius & præses disputati=
onis? Dij boni quot offucias, quot sycophantias &
nugas deblaterabit. Nemo decachinnetur tam serio
garrientes. Excitabitur ab inferis Plato, curret So=
crates, uolabit Chimæra. Miror equidẽ cur nullam
omnino facias de Spalatino mentionem, cui tamen
ad te literas dedi. Ciceronis epistolas ad te remitto,
& ago gratias, perinde ac si mihi seruirent, malo e=
nim te dominum esse tam præclari operis. Iussi ut
Spalatinus tecum ageret de Platina & socijs. Mi=
rum est silentium. cur non exquisiuit in bibliopolijs
uti mandaueram? appetunt nundinæ celebres, tum
fies uoti compos. Interea posthabitis proprijs &
domesticis & quidem necessarijs negotijs, tuis stu=
dijs auxiliabor, teq; etiam atq; etiam oro, ut scribas
an me teneri uelis iuramento, an absoluere. Amor
legem non habet. Si remitto quod promisi, ægre id a=
nimo erit? quum libri sunt compaginati & uestiti.
Si retineo tuq; repugnas, ubi fides? Sed satis est imo
plus nimio disputatum de hac re cum Spalatino no=
stro. Digestas legem commentationes propediem re=
mittam. Saluta Eobanũ. faueat uobis Ceres cum suo
Triptolemo, qui semina demetria dispersit. Ego do
spiceã coronã Eobano, hac contentus erit quoad Cæ
sar da=

10175788

ſar dabit poêticam. Sic agricolæ ſpicas offerunt Cereri, & coronam ſpiceam iuxta illud uulgatum:

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Sed ne uidear oblitus Eobani, ſcribam ad hominem de hac ipſa coronatione cereali. Vale & fruere bono ſecundæ ualetudinis. Etiam ſi nobis indigna dicatur, tamen grauitatem retinere atq; iracundiam repellere debes. Caue offendas ſemigræculum. Illud nuperum Epitaphium mendoſum erat. Alter uerſiculus loquebatur de anima & umbra ex dogmate Homerico, apud quem anima repetit cœleſtem domum, corpus terræ redditur, inferos petit umbra. Si dubitas libenter te confirmabo.

Mutianus Rufus raptim.

SVO PETREIO ET HEREbordo viris doctiſs.

S. P. D.

Noſtri ordinis hoſpitem Herebordo tuo imo noſtro commendabis, ut gloriari poſsit ſe à Mutiano doctis & benignis Erfurdienſibus commendatum fuiſſe. date cœnam. Non eſt homo Bombylius. Amatur ab Ioachimo & Epiſcopo Lubuſino & nunc redit εἰς ἀρχαίας φάτνας. Ego me totum tibi trado ut homini iuris ſtudioſiſsimo & amiciſsimo. XI. Cal. Nou. An. M. D. XI.

Tuus Mutianus.

EPITAPHIVM
Thomæ Vuolphij.

CVm peteret fratrẽ morbo resolutus Amandũ
Vuolphius, infernæ nauita puppis ait:
Inuida si possent bene docto parcere fata,
Sparsisset canis tarda senecta caput.
Dura necis stabilem fixit proserpina legem,
Hac trahit ad manes optima quæq;, suos.
Septeno uertens lustro unus defuit annus,
Occumbit corpus cum iuuenile tuum.
Lætior Elysijs sed dum spaciabere campis
Viuet apud sacros candida fama choros.

Humatus Romæ. *An.* Christi M. D. IX. C. V. A. XXXIIII. *Ob.* Non. Octobr.

EOBANO HESSO CANdidato Philosophiæ amico honorando

S. P. D.

NVmmorum aucupium docti legumq; tyranni
Aere patrocinium uendunt, ut scribit nobilis uersificator. Ego *consilium, curam, operam gratis amicis præsto.* Theodorus Gaza *appellat* Nicolaum pont. max. *dulcem tyrannum.* Itaq; *culpam non habet esse bonum legum tyrannum, nisi quod leges dominari debeant, non mitti sub iugum.* Sed *præteream, ambiguæ laudis titulum. Præis mihi car-*

men

10175788

men non ſanctiſsimum, est enim in eo latens impu-
ritas. Qui cernit uana ludibria, is faciat nec ne tu
ueris. Etiam ad ſpectra catiana, ſi fueris in amore
puellarum, ima exæſtuat unda. Muſagetes iacto a
te fulmine afflatus ſeniliter tremit, redempturus pa-
cem & ſalutem p. p. p. p. p. hoc est, ut Spartianus
interpretatur perdite, pauone, porcello, piſce, per-
na. Credo tales offæ Cerbero ſufficient. Nunc iu-
bes ut ſcribam, nunc imperas ut quieſcam. ualde im-
perioſus dominus. Ego ad te raro ſcribo propter in-
tentionem dialecticam. Noui difficultates labyrin-
theas, noui ſupercilium garrulorum. Multi Lacy-
des ſunt, atq; ideo multi anſeres muſis obſtrepunt.
Cenſuram infiniti, indulgentiam pauci exercent.
Quod autem accuſas me negligentiæ, facile patior,
cum tu non ſis diligentior. Vbi manet Occanus to-
ties flagitatus? Ad ſigniferum pro te nec dum ſcripſi
excuſo neceſsitatem, nam propria me diſtringunt,
ut obliuiſcar communium. Vigilat Crotus, & hoc
tibi ſatis. Non tamen repulſa est hæc mea mora, ab-
ſit tœdium & deſperatio. Omnes amici numeros,
diſſpeream, niſi compleuero, etſi tu iudicium meum in
notam uertis. Da Pſittaco plumas poëticas, facies
operæpretium. Vale & cura candidati partes, &
quære alatum pallium, ut tandem incluſus labyrin-
tho tanquam Dædalus ſubuoles. Vale iterum decus
Muſicæ.

Mutianus.

SVAVISS. PETREIO
homini literatiſsimo
S.

BReuiter & commode iocaris, addo etiam acute ut homo naturali acumine præſtans. Non eſt hæc diſſoluta comitas non dicacitas ſcurrilis, ſed Latina ſed literata animi remiſsio. Quid feſtiuius? quam cleuare tectis uerbis infirmi ſexus deuotam inediam. Riſi mirabiliter quando Benedictus retulit querelas matris te quaſi obiurgantis, quod raro ſacra frequentes, nolis ieiunare, oua comeſſe ſoleas contra ritum opinionis publicæ. Purgaui ſcelus tam inauditum, tam nefarium his uerbis: Recte quidem ac prudenter Petreius, templa collabuntur, ſpectacula ruunt, æra crebro mota turres quatiunt, multa caſum minantur. Porro ſacrificulis tantum dantur ſtipes, prophanis ſal datur & aqua ueluti capris. Ex hoc fonte deriuatum eſt, ut gregem dicamus plebem, grex autem eſt caprarum & ouium examen. Ideo ieunium auerſatur, quod ſciat (neq; enim obliuiſci poteſt) quid patri acciderit, cibo abſtinuit & mortem obijt. Si comediſſet, ut ante ſolebat, non deceſsiſſet. Habet fratrem medicum, nec tantum medicum, quod eſt uulgare, ſed eximium medicum & uarijs experimentis atq; induſtria inſignem. Ab eo didicit, quid ſapientes Italiæ faciant. Quod autem oua ſumſerit, id eo factum quod deerant gallinæ, ſi adfuiſſent, nunquam deinceps oua poſuiſſent. Hæc auſcultans ille frontem corrugauit, & tandem, quis

inquit

10175788

inquit, uos malos Christianos absoluet. studium in-
quam & doctrina, neq; esse aliquis absolutus dici
potest, nisi qui multum diuq; lectitauerit, id quod Pe-
treio tribuendum erit. Vide quam mihi persuaserim
non modo te non peccasse, sed multis modis te sapi-
enter fecisse, cum saluti tuæ consulueris. Abiens
Rufinus assignauit librario XXII. *Boëmos, bene*
an perperam ignoro. hunc in eius locum substitui.
Spalatinus est bonum nomen, sero tamen satisfacit.
Ne dubita satisfaciet pro tua fide, pro sua in te ac
tuos beneuolentia. Habet uectigalia, canonem, ouile.
dabit aurum si cætera defuerint ex aurifodina prin-
cipali. Fac ualeas meq; mutuo diligas. Si Vulda non
placet protosspatario commendabere. Sed solus legi-
to hæc & subito concerpito.

HEREBORDO MARGARITO
Iurisperito cultiss. amico singulari.

S. P. D.

TRebelius laurea redimitus ex principali in-
dulgentia me prope coëgit impetrare sibi
coronam istam. Eobanus quoq; noster ut amplior si-
bi gloriæ cumulus accedat idipsum priuilegium tan-
quam sit in manu mea precibus ardentiss. extor-
quet. ita uates uim afferunt. Nolo dicere illud Ho-
ratij: Vesanum tetigisse timent fugiuntq; Poëtam,
qui sapiunt. Ego nunquam offendam, potius polli-
cebor, raro consilium dabo. Imputant tibi euentum,

& tanquam pullarius nunciauerit auſpicium ſoliſtimum, aut á ſiniſtra cornix á dextra coruus uolauerit: rata putant omnia quæ conſulueris. Nemo mandati ex conſilio obligatur, cum liberum cuiq; ſit apud ſe explorare an expediat conſilium. promiſſor quoq; ſi culpa doloq; malo caret, non tenetur de re dubia. Sed Poëtæ utuntur ſuis legibus. Si conſilium das, ſi promittis, mox intendunt actionem ex contractu bonæ fidei, & rem ipſam condicunt, & quod ſua intereſſe putant, petulanter perſequuntur. Suaſi ſæpius ut utiliter ſtuderes omiſſis inutilibus nugis, quas ſiue contineas ſiue proferas, non doctior uideberis ſed moleſtior. Nugatorium eſt quærere de filijs Niobes, de matre Hecubæ, quid Sirenes cantare ſint ſolitæ, an Sappho pudica fuerit. hæc ſuperuacua ueſtigatio procul abſit. Tibi præcipio non Poëtis. Non ferrent iſta ingenia talem admonitionem. Permittamus igitur Muſis fabulamenta, & dicamus Sicyonios calceos aptos eſſe ad pedem, Socrati tamen non conuenire. Deligamus nobis indiſertam potius doctrinam quam ſtultam elegantiam, uitemus odium Poëtarum, quorum carmen eſt uti gladius acutus in manu furioſi. Dico de malis. Eobanum noſtrum ſemper excipi par eſt. nihil impie, nihil ſcurriliter, nihil immodeſte, incaute, barbare profert. In quo non minus cœleſtis ingenij uigor quam morum ſanctitas eminet. Itaq; ne tam clarum lumen ſub modio lateat, curabis etiam atq; etiam ut literæ reddantur ſuo loco ſuoq; tempore. Donabitur, ut ſpero, corona Poëtica, ut tandem in coronis eruditorum

florere

florere ac uiuere glorioſius ac tranquille poßit. Res non habebit impedimentum. Nullos ſumtus facict alioquin meipſum opponerem pignori, Scribæ forſan ſuum petent ſalarium, ergo ſalem offer ueluti capris delingendum. poſtulabunt ſtipendium, dabis Hallenſem quem uocant. Exigent mercedem, honorarium pretium, da uerba. Extra iocum: ſi quid numerandum eſt, adiuua non abortiuum ſed parum lucupletem Poëtam. Vellem Spalatinus adeſſet, is ope operaq; ſua negotium expediret. In te autem quando abeſt in te inquam & Venatore & comitibus inclytis Eobanus præſidium habet, in noſtris literis auxilium, in Apolline uoti ſummam. Non erit opus aliqua recitatione, ſtet inter modulatores & ſymphoniacos & cantet, mox è choro producatur ad genua ducis. Sic coronabitur uel in templo uel in chorea. Poſtquam coronatus fuerit, agant amici cum decuria ſcribarum ut diploma auferat. Vale. IIII. Non. Quintil. Anno ſalutis octauo.

Mutianus.

EX EPISTOLA QVADAM Mutiani ad Hereb. Marg. fragmentum.

QVoniam Eobanus Sophiſtarum aſſenſione donatus eſt (ni fallor) bacculariorum faſcibus (ſicut enim olim Romani generoſis pueris bullam & prætextam donabant, priſci uero Germani ſuis

10175788

ſuis adoleſcentibus ſcutum & frameam, ita ætatis noſtræ more, quod multis glorioſum eſt, bacularij creantur) Superest ut honori tuo & pariter ipſius conſulam. Legi uerſiculos hominis, etiam examinaui an digni forent editione. Itaq; ſic cenſeo, ſi reliqui, quos equidem non uidi, reſpondent illis, congreget omnes, edat confidenter. Tu uelut Iuno Lucina fer opem parturienti, ut aliquid ſubciſiui temporis impertias. Ego generalem libelli diſpoſitionem ordinabo. Neq; enim ſatis eſt conſcripſiſſe, niſi probus ordinator affuerit. Itaq; ſecreti ſacra nacti primum in fidem & taciturnitatem coniuranto, dein recitatis litteris, quæ propoſuimus, faciunto diligenter. hinc laus & honor ad uos confluet. colligat raptim exemplaria carminum ſuorum, & ut quodq; in manus uenerit operi inſerat. Illud præcipue admoneo, ut ſæpe multumq; cogitet, an is ad quem ſcribat, dignus ſit ea laude. faciat nouos titulos, mutet nomina peritorum iuuenum, ſiue ſyngambri ſint, ſiue cimbri, ſiue Poëtæ, ſiue oratores. pro iſtis in locum deraſum ſubſtituat Thomam Vuolphium uirum liberalem & beneficum, doctum & diſertum Iuriſconſultum & Canonicum Argentinenſem, Et Vdalricum Zaſium literatiſſimum ſenem, iuris & eloquentiæ doctorem celeberrimum Friburgi profitentem, & Georgium Spalatinum iuuenem probiſſimum & eruditiſs. & Petrum Eberbacchum Muſas religioſiſſime ſuſpicientem, & Lupum Leoburgium fratrem tuum incomparabilis innocentiæ adoleſcentem. Et præterea bonos conterraneos, non leuiculos, non barbaros,

non

non ſuperbos, non oſores honeſtiſsimæ profeſsionis noſtræ, non aduerſarios. Opuſculum tuo nomini dedicet, ſeq; tecum nobilitet, dum enim alios publice laudat, ſeipſum recte prædicat. non minus accipit gloriam, quam alijs dat. Se bonus ſcriptor honeſtat, ſi doctos & modeſtos et quietis atq; liberrimæ tranquillitatis amatores illuſtrat, omiſsis omnibus etiam potentibus & fortunatis dominis, malis artibus imbutis, ſtolidis, litigioſis, auaris, & depugnare calumniando paratis. Quod ſi ea carmina quæ ad me dedit, & alia ſi adhuc aliqua daturus eſt, interponet, ſciat mihi ſufficere hunc ſimplicem titulum: Ad Mutianum Rufum uirum humaniſsimum. Nulla enim alia uia placari poteſt inuidia, quam ſi nihil aut parce laudabimur. Carpat indoctos & ſuperbos canonicos acerbiſsime, qui me & cæteros quietos Philoſophos procaci lingua inceſſere non deſinunt, etiam nulla á nobis aut iniuria aut contumelia laceſsiti. Quid multis? audeat feliciter. Dum enim uiret florens ætas, & adhuc imberbes ſumus, maxime probatur induſtria & conatus puerilis, & ſi interdum labitur & peccat, paratam habet puer & facilem ſpem ueniæ, &c.

IN VENETOS.

Cvm te Marce Leo contriuerit undiq; Gallus,
Proſtraritq; tuum grande ſupercilium,
Limoſoq; lacu lacerum ceu triſte bidental,
Clauiger inuicto clauſerit enſe pater:

Euulſis

10175788

Euulſis ceruice iubis & pectore fibris,
Quod ſupereſt aquilæ præda cibuſq; uenis.
Quem mare, quem tellus, quẽ nõ capiebat olympus,
Cum ranis miſerum nunc capit una palus.
Heus ubi fama potens, ubi nunc tua gloria? cunctis
Fata minabaris triſtia, ſolus habes.
Diceris à fãſtu tumidæ noua fãbula ranæ,
Quæ dum immane cupit creſcere rupta perit.

PETREIO APERBACHO
Iuriſperito diſerto amico
dulciſs. S.

LEgi hendecaſyllabos tuos bene tornatos & ad unguem factos. Hæres fauesq; Capnioni. Et ego, prius pariet locuſta Lucanum bouem, quam ab eodem diſſentiam. Nunquam ſtudui malefacta cuiusquam cognoſcere, nunc tempus admonet, ut corni cum oculos configam. Pythagoras diſcipulos tacere primum docuit, itaq; quaſi Pithagoriſta fui hactenus elinguis. Cum autem uir eruditiſs. inceſsitur, & uilis homo transfuga defenditur, ſuccurram pro uirili cauſſæ, non ut Hebræorum patronus, tantum mihi non ſumo, ſed laudator Ioannis Reuchlini qui ueritatis amore de Talmudicis uoluminibus æquam protulit ſententiam, damnando quæ mala, tuendo quæ bona ſunt. Ait enim in illis faſciculariam miſcellaneorumq; doctrinam contineri, impia, nefanda, pernicioſa reiſcit, utilia ſeorſum diſcreta uult eſſe. Non ſtudet Iudæis, non eſt mercede corruptus, ueritati

fert

10175788

fert opem. Audiui Bononiæ tantum esse decus hoc Sueuorum in literis Hebraicis, ut Romæ X. aureos dederit Doctori Verpo pro unius dictionis, quæ obscura erat, enarratione. Tritemius mihi dixit incredibilia de libris Capnionis. Misi ad eum tabellarium cui ostendit rem librariam. Multa narrauit mihi ad hanc laudem pertinentia Thomas Anshelmus. Excutiam hos Agrippas nominis præposteri, nam extra caussam acuti uidentur, in re ipsa hebetes & ridiculi. aptant sibi incongrua testimonia & occupati in producendis testibus minus necessarijs non uident quæstionis cardinem, & quod medico eget proferunt delirio personam seriam. O medici medici mediam pertundite uenam. Vale & salue, natali Seuerini M. D. X I I.

Mutianus.

D. H. VRBANO VIRO præstanti suo S. P. D.

VEllem Vrbane plus esse tibi otij, mihi librorum, ita tu cultior fieres ego tersior. sed non uni dat cuncta Deus. Equidem non aliter sentio quam Bernardus tuus, qui patientiam miris laudibus tollit. Feramus igitur iniuriam, damnum, contumelias, & simus humiles non alta sentientes. Hui dices Mutiane nimis es humilis, tardus atq; hebes. Promittit tibi Federicus ampla, nõ acceptas. Moriones te irrident, nõ pensi habes. Amicos nõ habes, parũ id curas.

10175788

ras. uide ne ista tua humilitas tibi damno sit, potius quam lucro. Euge *bone* Vrbane, *omnia aduersa mihi sunt. despectus rerum momentanearum non est uesania, non dementia, non imperitia. quid tot sancti ordines, quid tua hæresis, in qua* Canonicus *uiuis? quid* Philosophorum *instituta meliora aliud præcipiunt, quam ut simus paucis contenti & mansueti?* Omitto *citare testes,* Paulum *nosti, legis sacra, intelligis casus humanos.* Dicunt *maligni* Mutianum *non esse* Theologum, *non* Iurisperitum, *non admodum literatum. fateor & humilibus homo* Christianus *acquiesco.* Id *tamen scio nos in omni doctrinæ genere, nedum in sacris literis & iure, tantum profeciſſe, quantum ab homine barbaræ nationis fieri potest.* Non *te moueat si audis calumniantium obtrectationes.* Maiora *mori moliuntur crede mihi.* Sed *eo me robore animi* Deus *sepsit, ut stultorum inuidorum superborum sibila non extimescam.* Male *igitur dicunt illi: humilitas est conditionis utilitas. imo humilitas* Christiana *est uera fortitudo & magnanimitas.* Vale *raptim.*

IN ARIDOS PISCES
ex tempore ad Vrbanum.

SI Græcum *quid habes dic nobis, strumule, nomen,*
Namq; *tibi priscum lingua* Latina *negat.*
Te *mare* Germanum *nostras transmittit ad oras,*
Es, *nisi butyrum te coquat, insipidus.*

Sed

Sed mihi pro caro ſapies acipenſere, poſtquam
Macra quaterdeni temporis olla uenit.
Laus ſit magna tibi, dum curret Sminthius alto
Cœlo cum ſuperis mi uenerande pater.
Sis lætus turbamq; precor celebrato nouenam,
Nunc tamen ut tempus poſtulat, ede, bibe.

TETRASTICHON PHILIPPI Beroaldi in Thomam Vuolphium & Thomam Beradellum amicitia coniunctiſs.

CLarus amicitia Pylades & clarus Oreſtes,
Cumq; pio celebrant Theſea Pirithoo.
Nunc duo nunc Thomæ clareſcunt pectore fido,
Quos ſtudium & mores quos ſociauit amor.

HENRICO VRBANO S.

Bernhardi ſacerdoti venerando ac magna doctrina homini, Aldus Manutius Romanus

S.

MVtianum Rufum propter ipſius doctrinam & humanitatem amo uehementer, eiq; debere me fateor, cum quod de me non deſinat bene dicere, tum etiam quia te mihi ſanctis moribus & doctrina ornatum uirum amicum fecerit ſuis laudibus. Quamobrem niſi te & Mutianum & Spalatinum admodum quam doctos uiros & mei amantiſs. non Mutiani laus

10175786

diligam ſolum, ſed plurimum quoq; redamem, ſim omnium ingratiſſimus. Sed & amo uos & uereor agoq; uobis immortales gratias, quod me ad mutuam beneuolentiam inuitaritis, quam quidem ad rem ſi tacuiſſetis, eratis digni prius rogari. Illud me ualde delectat, orari abs te Deum, ut me in tantis laboribus pro re literaria adiuuet. id quod, rogo te, etiam atq; etiam ut nunc maxime facias, curesq; ut idem cæteri apud te tui faciant. Molior enim rem maximam maximo emolumento futuram ſtudioſis omnibus, & qui nunc ſunt, & qui poſt alijs erunt in annis. Vale. Venet. XXII. Febr. An. M. D. VI.

EX EPISTOLA MVT. ad Crotum.

VIdi, Crote, uidi poëma miræ ſuauitatis, quod conterraneus meus Magiſter deſignatus conſecrauit Engellendro uiro diſerto & beatiſſimo. Quid quæris? nihil poteſt eſſe dulcius. Quid præterea? adeo placuit uxori formoſiſſimæ, ut maritus ſua id manu deſcriptum cum elegantiſſ. & grauiſſ. epiſtola nobis transmiſerit. Quid aliud? prædicat alacritatem & ſtylum Eobani, mihiq; gratias agit, quod ego inter ſe & eum copula fuerim. Deus bone quanto Fauonio principij uela complet: Cum tua per cunctas uir præſtantiſſime terras. Sed ante finem incredibiles mouet affectus. dat mulieri pomum aureum, iudicio Paridis, itemq; Iunonis ſpeculum, & alia pulchritudinis teſtimonia. Non poſſem ego talia, non

lia, non ſolum quia occupationes me impediunt tam rei domeſticæ quam aliæ, ſed etiam quod nec me, nec quenquam arbitror eſſe qui canendo poſsit æquare tantum ingenium. Quare miſi carmen & epiſtolam ad Ioannem Biermoſtum uirum clariſs. ut uulgaret in aula ducum. Nam præterire nihil uolo, quod ad collectionem ueræ laudis pertineat, neq; conquiescam, niſi uobis amicis fraterni amoris uim & officium demonſtrauero. Meo conſilio & gratia & ope Spalatinus ſinceriſs. obtinuit nobiliſs. docendi munus, præfectus theſauro ducali, hoc eſt, hæredi & ſucceſſori principalis fortunæ. Habeo literas laudatrices & plane mirificas, mitterem eas niſi continerent ſecretiora, quæ Birmoſtus & Pfeffinger occultari iubent. Vnam clauſulam accipe. Scribit ad me Cancellarius: Spalatinus tuus nec minus meus mirum in modum à me amatur, & in delitijs eſt continuis propter hominis incomparabilem grauitatem, cum comitate literaturam, obſequendi promtiſs. animum, & quod reliquis longe præſtat, uitæ ſanctimoniam. Diligitur quoq; ab illuſtriſs. principibus noſtris, & tota aula hominem admiratur. Deo duce non deerit illi uirtutum meritorumq; decens & honor & remuneratio, & cætera. Epigramma mihi dedit Emanuel, adhibita lege ut id tibi & Eobano, quos amiciſsimos uocat & merita laude celebrat, exhiberem. Miſi ad aulicos, gratum fuit Diuo Friderico, atq; ita ut à Spalatino, iuſſu principum, in teutonicam linguam conuerſum ſit. Ignoſce quod ſerius exemplum trado. Vale & tibi perſuade te amari à

10175788

nobis prout societás coniunctioq; noſtra poſtulat. Saluta principes tuos. XVI. *Cal. februarias.*

Mutianus.

HEREBORDO MARGARITO

Iurisconſulto, vel quod uulgo præclarius,

Iur. Vtr. Doct. ſuo amicisſ.

S. P. D.

ACcepi literas tuas, Hereborde *cariß. ſed quales? profecto graues, dignas, ſuaues. Grauitatem ad ſententias refero, dignitatem ad elegantiam, ſuauitatem ad laudes compoſitionis. Vnum tantum hoc uidebatur obſcurum, quod Valerij nodum á nobis exodandum non ſatis luculenter annotaueras. Quod ſi clarius ſcribere uoluiſſes conſuluiſſem ego tibi. Accepi una cum literis tria carmina, unum uatis* Carmelitæ, *duo* Poëtæ Heßiaci, *cui tantum tribuo, ut* Pindarum iuniorem nominare tu eum *& cæteri iure poßint. Ita princeps eſt* Lyricorum nationis Germanicæ, *ita rerum uerborumq; diues, propter quod ſicut* Horatius priorem Pindarum merito credidit nemini imitabilem, *ita ſum in ea ipſe opinione, ut poſteriorem hunc extra omnem ingenij aleam poſitum eſſe decernam. Quæris quam gratum mihi ſit munus tuum? gratius eſt gratißimis* Gratijs *& pulcherrimis* Horis, *quas deas* Ouidius celeres appellat, *& omnino dignum amplexu ac deoſculatione, dignum etiam quod puelli puellæq; legant, ediſcant,*

Eobani Heſſi laus

10175786

ſcant, decantent. Quid de conterraneo meo ſentiant Socratici cenſores, qui nuper in magno ſcholaſticorum cœnobio non procul ab æde Michaëlis examen puerorum congregauerunt, ut bacularios lignariosq; crearent, non magnopere requirendum puto. Neq; enim metuendum eſt quid de noſtri ordinis adoleſcentibus ſophiſtæ contentioſi iudicent, genus irritabile & arrogans, tamen exorabile pecunia. Nam ſiue laudent ſiue uituperent Poëtas parum interest. Sunt fortaſſe non incallidi, in diſputando, captioſi & incomprehenſibiles ac lubrici uelut anguillæ. Noui aliquos uerboſos, perplexos, intricatos, qui non uidebantur blaterandi finem ante obitum facturi. fuere nonnulli qui ſuos incultos & barbaros libellos, atq; omni carie ac putrilegine carioſiores, in quibus ferè de lana caprina concertatio continentur, doctiſſmis & diſertiſſimis autoribus multa temeritate & audacia præferrent. Viuunt & hac tempeſtate togati uulturij homines uecordes & cerebroſi, & in Latinis ſtudijs rectiſſimis quidem illis atq; honeſtiſſimis prorſus infantes, ne dicam inſipientes & ſtulti, qui Poëtas, oratores, hiſtoricos, iuris conſultos & Theologos ueteres ob peruerſitatem mentis & ignorantiam, damnant, ſe & ſua laudant, nos & noſtra carpunt: Et ſic miſeri & ad auaritiam, ſuperbiam, falſamq; ſcientiæ perſuaſionem nati, praua pro rectis, mala pro bonis, barbara pro latinis habent. Per eos tantum odij atq; inuidiæ ſuſcepit Poëtica, ut ueriſimile ſit, magiſtros Eobani fulgorem ægre aſpexiſſe. Adeo uero rudes ſunt bona-

10175788

rum literarum, ut quid Bacularius sit nesciant. Baculaureus enim absurdum est, & ridiculum uocabulum. Ostendam tibi iudicium meum, quod possis cum Eobano per secreti fidem communicare. Primum te adiuro ut uelis arcana reticere, ne mihi & nostris male literati grauiter irascantur. Versus est Ciceronis: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Hunc uersum quidam perperam interpretantur tradentes per lauream significari Poëtam, quum Imperator significetur. Victores olim laureati triumphabant. De laureatis militibus frequens fit mentio apud illustres historicos, non tamen nego lauream etiam ad Poëtas non minus quam hederam pertinere, qui & baccare coronabantur. Sed nihil hæc scilicet ad istos, quorum nomen à baccis lauri deducere miror non indoctos etiam quosdam. Cum sit sine dubio à bacillis deriuatum, quæ gestantes tanquam insignia in ludis literarum & templis aliqui curarent, munere hoc honoris fungentes. Nos gratulamur Eobano, quod in Socratica silua hoc tempore, quo crentæ herbæ contractis crenis amissoq; uirore flaccescunt atq; intermoriuntur, non offenderit ad spinas, sed illæsis pedibus & manibus orbem disciplinarum tanquam lignorum aceruum exemplo Protagoræ sub argutis democritis, responsionum uinculis & acumine, laudabiliter constrinxerit, ut lignarij bacularijq; titulo inter uniuersos consecraneos sine controuersia isto quoq; nomine digniſsimus & quasi primarius, atq; eo principe loco donandus esse uideatur. Vale. Quæ restant, restant autem egregia & in

10175786

& in primis honesta, in alia charta paucis exponemus.

AD EVNDEM.

TE saluum esse iubeo mei amantiß. & ante alios diligendum. Quintodecimo calendas mensis Neronei uenerunt ad me Tullius, Lucretius, Mela, G. Valla, Curtius, Philelfus, Crinitus, Vitruius, Platina, Festus & Statius. Accepti sunt sermone & grato & erudito, & animo ita læto, ut continere me nequiuerim, quin præ gaudio lacrymas effunderem, cogente affectu naturali, ne credas in aduersis tantum ac mœrore prouenire fletum. An ignoras illud è triuio quod sumtum est de fabula Terentij, Obe lachrymo præ gaudio. Legisse arbitror te apud Liuium: certatim patribus plebiq; manare gaudio lacrymæ. quod fit & factum est sæpe aliàs, & fiet futuris in annis. Quintilianus eleganter expreßit dicens: Lachrymas natura mentis indices dedit, quæ erumpunt dolore, aut lætitia manant. Postquam illi in Romanis literis magni nominis atq; omni probanda eruditione celeberrimi authores, una cum epistolis ad Atticum exire uolent hospitij contubernium, dabo comites fidosq; sodales atq; custodes, ut salui & sani domum & dominum reuisant. Tibi uero, Hereborde Margarite, gratias ingentes ago, & quia non possum alia suffragari ratione, saltem scribendo & hortando & bene sentiendo referre gratiam aliquam conabar. Neq; ob id tamen, ut pro offi-

10175788

cio boni & grati uiri amicitiam confirmem, quæ ſuis ſibi uiribus ſatis eſt corroborata, ſed multo magis, ut alacrior fias in certamine rerum & literarum æui prioris. Ad quod ſane ſtudium, cum ſis doctrina & ingenio & fulgore familiæ, nobilis, præterea contemtor opum, recti pertinax, morum maieſtate uenerandus, oſor inſolentiæ, ſprctor inſcitiæ, contemtor ambitionis & malarum artium, ne primum pilum inter auxiliarios ſecundum latinas legiones ducente, magnus eris aſſertor & idoneus uindex contra barbaros, quorum conſpirationi ſinguli ſumus impares, coniuncti uero ſtabimus in acie uiriliter & ſublatis ſignis præliabimur. Durandum eſt enim, quia ſemel huic militiæ nomen dedimus, & fœderati ſumus quaſi militari iureiurando. Ne ſi inclinata acie noſtra brachia, manus & arma ſubmiſerimus, extrema patienda ſint nobis, & res latina quam prudentiſſimi noſtro ſæculo ab interitu, clade, ruina & interneciuo barbarorum odio uindicarunt, nunc tandem iterum prolapſa penitus extinguatur, profeſſoribus ſuis ſub iugum miſſis uel interfectis. Sed quoniam te ſtrenuum fore confido libris uarijs & lectiſſimis inſtructum, liberales diſciplinas tam cupide quam laborioſiſſime exercentem, diuino quoq; uigore animi pollentem, & præditum ſingulari diligentia atq; ſcientia: partim amicitia adductus, partim prouocatus antiquitatis honeſtate & merito ſtudij iucundiſſimi, etſi non quæſtuoſi uitio temporum & ignorantia, conſtitui dare præſcripta tanquam normam optimi tyrocinij, ut poſita barba ſumtaq;

10175788

ſumtaq́; uirili toga non cum imperitis leguleis ſacratiß. ius adeas, ſed ingenua & priſca doctrina duce iuris cum ciuilis tum pontificij conſultiſsimus, atq; utilis & clarus patriæ ciuis creari atq; inſtitui poßis. Heri concepi literas, quibus agerem gratias pro dato triumpho. Mitto eaſdem quanquam rudes & tumultuoſius exaratas, nam ſubita conceptio talis eſt, & abortiuum imitatur partum, qualis & præſens ſcriptio tum ſubitaria tum impolita, ſed plena beneuolentiæ. Non potui ſuta reſuere, texta retexere, & uti libra & lucerna propter temporis anguſtiam. Itaq; nugas & ſiluas eo legas animo, quo mittimus. Etiam ſiluæ ſunt conſule dignæ. Etiam nugæ uiri doctioris laudem merentur. Quin & amico munus tenue quod dat amiciſsimus, & libenter aſſpici & commendatione probari debet. Tantum oro ut caueas ſecuritati & ſupprimas effuſa potius quam ſcripta. Noſti enim quam dicaces ſint quam mordaces beſtiæ, quibus ignota ridicula uidentur. fac ſuo iure moreq́; grunniant, coaxent, ronchiſſent, rudant, blaterent, balbutiant aſini ſuis barbaris compedibus compediti, ſuis ineptis uaframentis illaqueati, ſuis perſuaſionibus inflati & tumentes. Nos iure moreq́; ueterum minime triuialiter incedamus, admouentes quoad fieri licet, ore digitum ſalutarem. Non enim Heràcliti ſumus, ut flenda nobis uideantur, quæ non ſolum deſpicienda ſunt, ſed etiam contemnenda. hilares erimus & academici in utramq; partem diſputabimus, cum quadam modeſtia, ne ſi a-

liter egerimus discerpamur membratim sicut olim Scotus monachus à discipulis discerptus fuit. Vale.

DOMINO H. VRBANO

M. R.

SI uales, ualeo. Quod Gotham propter pestilens cœlum refugis non improbo, grassatur enim uulgo dira lues, trepidat omnis ordo, sexus, ætas. Quod autem nihil scribis sane non probo. Nullæ sunt occupationes tuæ tam multæ, tam arduæ, quæ tibi stilum excutiant. Nam epistola quædam est amoris testificatio. quamuis autem fides & beneuolentia nostra mutua testimonijs non est præfulcienda, stabilisq; est & robusta, literis tamen quasi decoranda uidetur. Erant apud me multi Erphordienſium, quos omnes tam spirandi dulcedo, quam intestina clades domo exegit. Tritemius Abbas à me liberaliter exceptus, profectus est ad Ioachimum Demarchum Brandeburgium principem Electorem. Conqueritur cœnobij uillas ab Hessorum incursu deuastatas. Sentit cum Palatino, atq; ideo dicitur esse excommunicatus, & ab ordine suo male habitus, hoc mihi narrauit Maternus. Mitto priscum opus de gemmis. lege cum abbate nostro, quem reuerenter diligo. Agnoscet ex eo mitræ suæ gemmas. Mitto etiam Petri Raucñatis sermones, quas dux inclytus Fœdericus mihi transmisit cum elegantissima, quam suo tempore uidebis epistola, quæ referta est summæ illius humanitatis & præcipui erga me amoris. Ser-

mones

mones dabis meo nomine Abbati, gemmarium uero ubi perlegeris remitte cum opercario cerato. Pinge ſimulachrum annuli ſignatorij. Non ſitis adeo contemtores rerum humanarum, ut ſignum gentilitium principis ueſtri negligatis. An non uidiſtis inſignia ſummorum Pontificum & Petri? Habeat optimus Abbas, diligens ædificator, ſanctitatis amator, cœnobij rector ſigillum patrium. Plura coram, nam breui in Belpratum diuertar manſurus illic ſeptem horis. Vale.

DIGNITATE, VIRTVTE & doctrina præſtanti, Adriano Turnebo.

Χαίρειν ἐντυχὼν πρώϊον τῇ ἐκδόσει τῶν σων ελέξω τῶ σωετῶ Σωεσίῳ ξυγγραμμάτων, καὶ ἀναγνὸς τὴν προυχνημένην ἐπιστολὴν σου, τῇ μὲν τῶ σωεσίῳ, ἐκ παλαιῶ δὶ αὖχῆς γεγονίᾳ ἡμῖν οἷον ὁμιλία, παύυτοι ἀνθρώπω, τῷ δὲ φιλολόγῳ τῶ τῆς ἐπιστολῆς πρωοιμίῳ περιαστέρον ἤθη. καὶ ἐθαύμασα ὄχ ἥκιστα τὸ ἀμήχανον, ἐν τῷ τὴν φράσιν σὲ τῇ ἐν χερσὶ πραγματείᾳ τεχνικώτατα ἐφαρμοσάμενον, ἐξομοιῶσαι τὴν λέξιν τῇ τῶ σωθέντος τὰ ξυγγράμματα δυσμιμήτῳ ἑρμηνείᾳ. ἣν ἔγωγε πρὸ τούτου παρατηρησάμενος τῷ ἑρμ-

φιλο-

φιλοχωρεῖν τῇ τῶν ἐπιστολῶν ἀναγνώσει, ἔ-
πειά τε εὑρών πολλὰς αἰγυπιίους λόγους αἰε-
πιχεράπους, καὶ ἄλλως γέμουσας σφαλμάτων
ξυαφικῶν, οὐθὺς ὅμως ἐπεκμηράμην περὶ ἓ
ἐκπεπονηκότος, καὶ ἐτόλμησα διιχυρίσασθαι:
ὅτι οὐδενὸς εἴη ἕτερα οἷον πατρὸς τὸ γνώνημα
ἐμὴ σωτερία. καὶ νῦν μαθὼν τἀληθὲς τῆς
τότε δόξης γέγηθάτε καὶ μέγα φρονῶ (οὐ
γὰρ δυύαμαι μὴ οὐ κατερεῖν πρόσσετὸ πά-
θος, καίπερ τὸ ἐπαχθὲς τῆς διηγήσεως ὑ-
φορώμενος) καὶ καλλωπίζομαι ἐν τοῖς φί-
λοις τῷ τοῦ ξοχασμοῦ ἐπιτυύγματι. ἐπεὶ δὲ
ἐκ παιδὸς ἐγώ πως γνώμην τε οἰκείαν καὶ θείαν
τινὶ τύχῃ τῆς ἑλλαδικῆς γλώσσης ἐρασὴς
γέγονα, καὶ μαθήσεως μεμοίραμαι, καὶ
τἄλλα πάντα ἐν ὑστέρῳ τῆς δε τῆς πατδῆς
ἦ γον, σέργω δὴ πάντας οὓς αὖ φωράσω τῷ
αὐτῷ ὥσπερ οἴστρῳ καὶ ἐχομένους περὶ ταὐτὰ
ἀσχολεῖσθαι, οἷς ἐγὼ τὸ πλεῖστον βίου τε καὶ
ἐπιμελείας μέρος ἐνεμάμην, καὶ πρὸς ἐ-
κείνους ὀχ ἧττον γηράσκων ἤδη, ἢ πρὸς τοὺς
ὁ μὴ λικὰς φησιν ἄνδρα ὁπλότερον ἡσίο-
δος, ἐπποίημαι, φίλων τούτους καὶ ἀγαπῶν
τῆς ὁμοίας προαιρέσεως καὶ κρίσεως. ὃ δὴ
καὶ ἑξαιρέτῳ τρόπῳ νῦν ἔπαθον αὖ ἀλεξά-
μενος τῷ εἰρημένην ἐπιστολῷ σχεδὸν ἧστε
κινηθεὶς,

10175786

κινηθεὶς, οὐχ οἷός τε ἐγενόμην κρύψαι τὴν διάθεσιν τῆς τε ὑποληψεως περί σε, καὶ τῶν ἐμέρδε τῶν σῶν μισθῶν, ἀλλ' ὁ πόθος ἠνάγκασεν ἐμὲ ἐκφαίνην χρέαντά σοι καὶ ἐνδείξαντα ἐμαυτόν τε καὶ τὴν περί σε διάνοιαν. ἤντε δὴ οἶδ' ὅτι προσήσει φιλανθρώπως, καὶ ἐκ ἀπώσει θυρῶν τὸν αὐτομάτως προσελθόντα, ἐδὲ ἀποστραφήσει τὸν προσιόντα. αἰνήρ τε γὰρ χρηστὸς αἰὲν εὐπροσήγορος, καὶ ἦθος ἄχρειον καὶ ὑπερήφανον ἐκ ἔνι τοῖς παρὰ ταῖς μέσαις διατρίβουσιν, αἴσγε σωφροσύνην τὰς χάριτας ἔγνωμεν. ἔρρωσο. ἐκ τῆς Μισηνικῆς λυκίας τῇ μετὰ τὴν εἰρηνικὴν ἡμέραν τρίτῃ, ἔτει τῆς χριστογονίας α. φ. νε.

Ioachim. Camerarius.

Velim tua humanitas mihi indicet, quid librorum ex officina uestra prodierit, quidq; breui proditurum esse existimes, ut nostris hominibus negotium dari possit illos afferendi. Nam hi fortuitam operam hac in parte ponere non solent, sed διαρρήδην his mandari necesse est, si quid effici cupias. Misi tibi & uersus consuetudine nostra nuper propositos, quos legas tanquam compositos neq; ab ocioso, & inter uarias turbas curarum, ut si qua improbentur, ijs uenia beneuolæ cognitionis tribuenda esse uideatur.

Digni-

10175788

DIGNITATE, VIRTVTE & doctrina præstanti Adriano Turnebo amico obseru.

S.

Χαίρειν. κἀγὼ, ἀδριανε σοφίας καὶ ἀρε-
τῆς εἰς ἀκρὸν ἑλληλακώς ἀνὴρ, κἀμοὶ
φίλος ἐκ θυμοῦ, φασίν, πολλάκις ἐπέπλη-
ξα μὲν ἐμαυτὸν προφέρων τοῦ πρόσ σε χρά-
φεσθαι ἤτοι ὄκνον ἢ ἀμέλειαν, νῦν δὲ πολὺ
μᾶλλον ἐπίμεμπτον εἶναι καταγνοῦ, ἐπειδὴ
σὺ αὖθις ἐπιστέλλων τὸ ἑαυτοῦ οἷον ὑς ἔρημα.
ἐν αἰτίᾳ ἔχειν τολμᾷς. ἐγὼ δέ τοι, εἰρήσεται
γὰρ ταληθὲς, σκεπτόμενον ἐνίοτε περὶ τῆς
ἀποκρίσεως ὡς προσηκούσης ἐμοὶ, καὶ ὡς ἤδη
ἤδη μέλλων ἐπιλήψεσθαι τοῦ χάρτου τε καὶ
καλάμου διεταράχθην τῇ τῶν παρὰ μικὸν λε-
γομένων μιαιφόνων καὶ βροτολοίγων ἔργων
διεσκε δασθείσῃ φήμῃ, ἐυλαβηθεὶς μήπως
τὰ ἡμέτερα γνωρισθέντα βλαψειέτι τοὺς
δεχομένους, ὁς ὄντων μισητῶν καὶ ἀποτροπαί-
ων ἡμῶν, παρὰ ἀσκοῦσί τισὶ μισόθεόν τε καὶ
ἀπάνθρωπον εὐσέβειαν, καὶ θύματα ὁ λο-
καυτοῦσὶν ἀνόσια. οἳ καὶ περισκοποῦνται καὶ
παπαίνοντες καθ' ὅμιλον παντα χῇ, ὥσπερ
ἀκὸ μεν, θηρεύσοντί, ταυρικόν τι σόφισμα.

καὶ

10175786

καὶ ἀνθρωποκτόνον ὄπιτηδεύοντες, ἢ μᾶλλον
ὥσπερ λύκοι καὶ λέοντες περιέρχονται ζη-
τοῦντες οὓς ἀπολέσειαν. καὶ οἱ δὴ ἀποκτεινό-
μενοι ὡμῶς μὲν, ὦ χριστὲ ἰησοῦ, ὡμῶς καὶ φο-
βερῶς, ἀχ οἵ γε μέντοι δύσηνοι ἀδ' ἄθλιοί εἰ-
σιν, ἀδ'ὲ ἄξιοι θρηνῶν (ἀ κατθανεῖν γὰρ ὅσι-
νὸν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν, κατὰ τὸν ἐπαινέ-
μενόν τιν Θ σίχον) οἱ δὲ διαχειρίζοντες τὸ σε-
συγὲς πρᾶγμα καὶ σφάζοντες τοὺς κακηγο-
γήσαντας μηδὲν μήτε ὑβρισὰς ἢ ἀκολά-
στους ἢ κακέκτας ὄντας, καὶ μόνον τὸ περὸς
τοὺς πολλοὺς εὐδιάβολον ἔγκλημα ἐγκαλου-
μένους ἀ μόνον ἀνεξέλεγκτον ἀλλὰ καὶ αἰε-
ξέταστον καὶ ἄκριτον, τὸ περὶ τῆς θρησκείας
νεωτεροποιὸν) αὐτοὶ δὴ ὅτοι καὶ καταδικά-
ζοντες καὶ ἀποκλινουμένοις εἰσὶν οἷοι καὶ νομί-
ζεσθαι καὶ φημίζεσθαι δύσλιοι καὶ ταλαί-
πωροι καὶ ἄνολβοι, ὡς ἀλάστορες καὶ πα-
λαμναῖοι πόλεων καὶ ἐθνῶν ὅλων. οἷς τοσοῦ-
τος καὶ τηλικοῦτος φόνος ἀμφὶ χέρεσσι
Πυλὺς ἀποσάζων ἀχ ἕσαι ἀνεκδίκητος ἐς
τέλος, ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι, κ' δὴ καὶ τῶν
συνεργόντων, εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ
πήματι βαίνει, καθάπερ ὁ παλαιὸς χρη-
μὸς λέγει. ἀλλ' ὁ πάντα ἐφορῶν παντοκρά-
τωρ θεὸς οἶδε τοὺς αὐτοῦ ἐκ κακῶν ῥύσασθαι,
ὦ καὶ

ὦ καὶ παραθέμενοι ἑαυτὸς, καὶ ὅσοι πιστοὶ
διατελεῖν ὄντες σπουδάζουσιν, οὕτω δὴ ἀ-
πεκδεχώμεθα τὴν τελείαν ἐλευθέρωσιν ἀπὸ
τοῦ πονηροῦ, ἐν ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου, ζῶντες ἐν-
ταυθοῖ, ὅσονγ' ἔξεστὶ τὸ λοιπὸν τοῦδε ἁγνῶς καὶ
καθαρῶς, καὶ τῷ ἐπιβάλλοντι ἑκάστῳ
Φροντίδα ποιούμενοι καὶ ἐκπονοῦντες τὸ ἐπι-
κείμενον τῆς οἷον ἐριθείας μέρος, τὸ λοιπὸν
τῆς μερίμνης ἐπιβαλώμεθα ἐπὶ τὸν κύριον,
αὐτὸς καὶ ποιήσει. ἀλλ', ἐγὰρ οἶδ' ὅπως
μακρότερον τοῦ δέοντος ἐνχολάζω σοὶ, ταῦ-
τα εἰς τὸν οἰκτίρμονα καὶ Φιλάνθρωπον θεὸν
ἀναρτησώμεθα. ἐγὼ δὲ αὐτιβολῶ σε, πέμ-
ψοντε πρὸς ἡμᾶς γράμματα, ὁπότ' ἂν τὸν
καμπτῆρα ὁ καιρὸς προστενέγκῃ, καὶ δήλω-
σον περὶ ὧν ἐν χερσὶν ἔχων καλλίστων καὶ
χρησιμωτάτων πραγματειῶν ἐπαύη δι-
κλεισάντε σαυτῷ καὶ τοῖς ἄλλοις ἡμῖν κοινλεὼ
ἀείτινα ὠφέλειαν χὴ ἡδονλεὼ πορισάμενος,
ὡς ἔμοιγε τὰ παρά σου ἅπαντα (ὅσα τε
αὐτὸς ὥσπερ τίλεις, ὅσα τε τῶν ἑτέρων γνώ-
ματα οἷον τροφῆς μεταδιδοὺς ἐπ' περιορᾶς
ἁμαυρούμενα) ἐμμέσου εὐωδίας μεστὰ χάριν
τε γλυκυτάτου ἐπιπνέουσι καὶ μέγιστον ἀεὶ
προξενοῦσιν ἀγαθόν. ὡδὲν δ' ἐξεγένετο κατι-
δεῖν ἀπὸ τῆς ἐκδόσεως τῶν νομικῶν τῶν τυλ-
λιανῶν.

λιανῶν. οἷς δὴ ἐνδιατρίβοντες ὀνάμεθά τε τῆς ἐξηγήσεως, καὶ ἀπολαύομεν τῶν διορθώσεων, καὶ ἔχομεν νυνὶ τὴν βίβλον τῆς καθημερινῆς καὶ ἐπιταχθείσης διδαχῆς ἀρχηγόν. γελοῖον δέ τι πάσχομεν ἐνίοτε, ὃ καὶ κατερῶντες πρός σε ὐκ αἰσχυνόμεθα. λυπεῖ γὰρ ἔφ' ὅτε ἡμᾶς ἡ σὴ φιλόλογος πολυμάθεια, ὐκ ἀπολείπουσα τόπον οὐδὲν ὐδ' ἕνα τῆς ἡμετέρας σπουδῆς ἐπεξεργασίᾳ, ὐδ' ἐῶσα τῇ ἰδίᾳ ἐπισημοσύνῃ καλλύνεσθαι καὶ ἐναβρύνεσθαί τι καὶ ἡμᾶς, ἀλλὰ ταῦτα πεπαίχθω μὲν φιλικῶς, σὺ δὲ πολλὰ τοιαῦτα ἔν τε τῇ σῇ φύσει καὶ ταῖς παρ' ὑμῖν βιβλιοθήκαις τεθησαυρισμένα εἰς φῶς ἄγοις καὶ συνοικείοις τῇ ἡμετέρᾳ χρείᾳ, καὶ τῷ ὑμετέρῳ ἀφθόνῳ τὸ ἐνδεὲς ἡμῶν θεραπεύοις. ἔρρωσο τῇ τῆς τοῦ ἡλίου ὐκ τῶν χηλῶν ἐξόδου.

DIGNITATE, VIRTVTE
& doctrina præstanti Adriano Turnebo, amico obseru.
S.

ΧΑίρειν. πάλαι ἤδη ἐγὼ ἐνθυμούμενος, ὦ ἀδριανέ, ὅση ὑμῶν σοῦτε καὶ ὁμοίων

10175786

σοι εὐτυχία, καὶ οἵαι ἀφορμαὶ παρέσται κτῆσιν ἐλλογίμου σοφίας, καὶ τὸ ἁρμόσασθαι νῦν τε καὶ γλῶσαν μουσικῆς καλλίστης θεάν συμφωνίαν, ἐμακάρισα μὲν ὑμᾶς τῆς τε φύσεως καὶ σπουδῆς, καὶ δὴ καὶ τῆς ἀπὸ τῶν παλαιῶν βίβλων παρασκευῆς, καὶ πρὸς πᾶσιν ἐν τοιαύτῃ χώρᾳ ἐννόμως βασιλευομένῃ, ὡς εἰκὸς, σχολῆς καὶ εὐημερίας. τὸ δέτι (εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς πρόσ σε φίλον ὄντα, ὡς πέπεισμαι) καὶ ἐφθόνησα τῷ ἀφθόνῳ ὅλῳ, ὑπιβλέπων ὑπὸ τὰ ἡμέτερα ἄτε φύσεως ἄτε παιδείας λαμπρᾶς εὐμοιρῶντα, τῇ τύχῃ δὲ, καὶ ταῖς ἑκάστοτε περιπιπτούσαις τῶν συμφορῶν κοινῇ μὲν ὑπικινδυνώτερον τε πάλαι καὶ νυνὶ ὀξέως ἢ καὶ κατοξέως, ὡς ἂν εἴποιεν ἰατρῶν παῖδες) νοσοῦντα, ἰδίᾳ δὲ ὅν τιν' οἷ ἄπειρ ἐσὶν, ὃ γὰρ ἐρῶ καὶ κατὰ τὸν εὐριπίδην. σὺ δὲ, ὦ φιλότης, κατειρωνεύῃ τε ἡμῶν καὶ ἐπαινεῖς ἢ κοὐ δ' ὅτι τῆς ἡμετέρας δυνάμεως, καὶ καθυφίης ταύτῃ τὰ σὰ, καί φης μὴ τοῖς ὁμοίοις ἡμᾶς ἀμείβεσθαι. ἢ δὲ γάρ ἐσι γε ὅμοια, καὶ εἴθε γένοιτο δὴ. ἔτω γὰρ ἂν κρύπτω τε εἶχον διαλήθειν περὶ τῶν ἐμῶν καὶ ἐφρόνεν ἧπον ταπεινῶς ἥπερ νυνὶ. ἐμοὶ δὲ ἀλλὰ ἔτε ἀνήναθαι τολμώῃ ἂν ἔτε βαλοίμην ἀπισηθῆναι

ὅτι

ὅτι ἀπὸ τῆς πρώτης ἡλικίας προόσηβός τε ὢν
ἔτι καὶ κυφαῖς ταῖς φρεσὶ χρώμενος, καὶ
τὰς τὰ σώματος ἢ τὰ νῷ ὀφθαλμὰς ὀξυω-
πέστερος ὡς νέος, ὅμως ἀπὶ τὸ ἀδέποτε ἀ-
κριβῶς καθορώμενον κάλλος τῆς ὀρθῆς παι-
δείας ἔσπουδον καὶ εἰπόμην μετ' ἴχνια ὥσπερ
θεῖά τινα βαίνων, καὶ τῷ ὄντι οἰστρηλατούμενος
ὑπὸ τῆς ἐπικρατούσης ἐπιθυμίας τῶν ἐλλογι-
μων χαμμάτων μάλιστα. ὧν τινες τῆδε πα-
ρεπιδημοῦντες ἀμφὶ Κρόνον τὸν βρεταννὸν, καὶ
οἱονεὶ σπόρους τινὰς ἐνταυθοῖ βάλλοντες, τὴν
διδαχὴν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπηγγέλ-
λοντο. κἀγὼ τότε ἔτη γεγονὼς πρὸς τρία ἐπὶ
δέκα ἀποσαλεὶς δεῦρο πατρόθεν κατὰ πο-
ρισμὸν δαψιλεστέρας τινὸς φρονήσεως, τὰ
στοιχεῖα καταλαβὼν καὶ οἷον θεμέλιον βα-
λόμενος τῆς ἐς ὕστερον ἐποικοδομηθησομέ-
νης γνώσεως, καὶ πάντων ἀμελήσας ἄλλων,
ἀφ' ὧν ποτε ἀξίωμα καὶ τιμὴν καὶ πόρον
χρημάτων τὴν ὁδὸν δεικνυόντων: ὅτω δὴ κα-
θάπερ σαγηνευθεὶς, ἢ μᾶλλον οἷον μῦς πίτ-
της, φασὶ, γεγυμένος τῇ τῶν λόγων σπουδῇ
ἐνεχέθην ἁλισκόμενος, καὶ νυνὶ ἔτι ἐν τῇ
παλαίστρᾳ ταύτῃ τυγχάνω καλινδούμε-
νος, ἔργμεν δὴ ἀφίσαμαι, τί γὰρ ἄντις χρὴ
ποιεῖν; ὁ πάνυ δὲ οἷός τε εἰμὶ διαπράξαι τῶν

πρὸς ἔργου τι. ἔπεισι δ' ἐμοὶ τὸ γῆρας ἤδη, κἀκ ἄρ-
ρατγε πολλά, κατὰ τὸν σόλωνα, ὀλίγα δ'
ἀεὶ καὶ τὰ μάλιστα κατεπείγοντα διδασκο-
μένῳ, ὅτι μὲν ἔν καὶ ἀπ' ἀρχῆς περὶ τὸ φιλό-
λογον καὶ ἔμμισον τῆς μαθήσεως ἐσπούδα-
σα. καὶ νεῦ ἔτι δ' παύομαι ἀσκῶν τὸ πιτή-
δευμα καὶ τῇ μελέτῃ ἐπιμένων, ἁδαμῶς αὐ-
χνοίμην ἂν ὁμολογούμενος, νομίσας δ'
μεμπλεῖ δ' ἐδὲ φαύλην εἶναι τὴν προαίρεσιν,
καὶ καλὸν καὶ ἀνάγκιμον τὸ τοῖς πόνοις προ-
κείμενον τέλος. πῶς δὲ οἴη καὶ κατὰ ποί-
ους τρόπους καὶ ποσάκις ἐνεπολίθη τὸ ἡμέ-
τερον πρόθυμον; καὶ νεῦ ἔτι τί ἐνοχλοίην ἄν
σοι διερχόμενος τὰ παρόντα δυσχερῆ; ἐμοὶ
δὲ ἔκ ἄρα ἀνάγκη καταφρόνητος ἡ προκοπή, κ
δὴ καὶ καταπεπράχθαι ἀξιόλογόντι νεῦ
δοκεῖ, ὅπου σὺ ἀκρόας ἦς ὢν περὶ τῶν λόγων, ἀ
μόνον ἀνεκτῶς ἀποδέχη τὰ ἡμέτερα, ἀλλὰ κ
ἐγκωμιάζων δῆλος εἶ, καὶ ὅτω γνώμης ἔχων
ὥστε κ διὰ θαύματος ἄγειν ἐκεῖνα κ φιλοφρό
νως διακεῖσθαι πρὸς ἐμέ, κ ἀ τεῦ τυχόσαν
ἔννοιαν ἀπονέμειν ἐμοί τε αὐτῷ κ ταῖς ἡμετέ-
ραις ἐπιχειρήσεσιν, ἢ, ἀληθέστερον εἰπεῖν, τῆ-
τόλμης μὴ μόνον καταλογάδην τι σωζέσθαι
ἀλλὰ κ ἔμμετρον σωθέσθαι. ἐκ οἶδ' ὅτι
τὸ μετὰ ταῦτα ἤδη θαρρῶντες ὥσπερ τῷ
ἔαρι

10175786

ἔαρι τοῖς σοῖς ἐπαίνοις, ἐκ ὀῤῥωδήσομεν κα-
τὰ τὰ ἐμφωλεύοντα τῶν ζώων ἐξερπίσαι τὲ
καὶ μᾶλλον ἔξωπου φαντάζεσθαι τοῖς λό-
γοις. τάυτη τοίνυν κἀπί σε καθίξεται ὁ τῆς
ὑπ' ἐμοῦ οἷον δημευομένης φιλολογίας κίνδυ-
νος, καὶ σὺ τῆς πρὸς ἡμᾶς εὐνοίας ἐπὶ τοσ-
οῦτον ἀπολαύσῃ. κατερῶ γὰρ δηλονότι πρὸς
ἅπαντας καὶ φράσω: ὅτι σὺ ἀδριανοῦ τε
τυγχάνεις θαυμάζεται καὶ κηρύπλεται, ὡς εὖ
ἔχοντα, τὰ ἡμέτερα. εἰεν δή. κἀγὼ, ὦ φίλ-
τατε ἀδριανὲ, ἀνταγαπῶν τέ σε καὶ μήπο-
τε λειφθήσομαι. καὶ σὲ καὶ τὸν σὸν
ἐλλογιμωτάτου ἀρετὴν ἀγορεύων ἐκ εὑρε-
θήσομαι ἔτε ψευδὴς ἔτε φθονερὸς. τοῦτο δὲ ἐ
τοῖς ῥήμασιν ἀλλὰ τοῖς ἔργοις φανερὸν γε-
νέσθαι βούλομαι. καὶ νυνὶ μὲν ἄλυπόν σε μᾶλ-
λον δὲ εὐφραινόμενον διάγειν εὐχόμενος, ἔ-
τω τε τῇ εἰωθυίᾳ προσαγορεύσει τέλος ἐ-
πιθεὶς τῇ ἐπιστολῇ καὶ ἐῤῥῶσθαί σε κελεύων
τἄλλα φύλαξαι μοι ἂν ἐπὶ καιρὸν ἕτερον. ἔῤ-
ῥωσο καὶ διατέλει φιλικῶς ἔχων πρὸς ἡμᾶς.
ἐκ τῆς λιψίας ἔτει τῆς χριστογονίας α. Φ.
ν. ϛ.

Ioachim. Camerarius.

SOphoclem tuum (ſic enim merito appello ſtudio diligentiæ & induſtriæ tuæ percultum & illuſtratum autorem) hunc igitur & uidi cupide, & ſæpe opta-

pe optaui potuisse mihi contingere eo tempore, quo in illum explicandum operam dedi. Essent enim nostra multo & pleniora & meliora. Sed nihilo minus lætor hac accessione, & tibi gratias ago indies quasi terminos proferenti eruditionis litterarum, & studia artium liberalium locupletanti.

ADRIANO TVRNEBO VIRO præstanti dignitate, virtute & doctrina, amico suo obseru.

S. D.

QVantum mihi dolorem sæpe attulerint rumores cladium uestrarum, quibus florentissimum Regnum dilaceraretur peneq; euerteretur, & scit Hubertus noster, neq; alij ignorant complures, quibuscum deploraui Gallicæ gentis eximiæ miseras uices. De te etiam, quoscunq; potuimus, diligenter sumus perconctati. Incredibilem igitur cepi uoluptatem ex literis tuis, quas Hubertus noster nuper mihi reddidit, simulq; de sermonibus ipsius, cum & te tristissimo tempore uestro ac rebus calamitosissimis, ita tamen durasse istic cognouissem, ut uacares operam nauando Musis, id est, studijs sapientiæ atq; doctrinæ, & Hubertus iam deinceps de pace tranquillitateq; apud uos, habere spem satis bonam uideretur. Superatis autem malis & quiete parta, ἔσθ' ἡδὺ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Atq; hæc ita esse cupio, indiesq; fieri res uestras meliores, cum alias ob caussas, tum ut optimarum disciplinarum

10175788

rum atq; artium culturæ, & ingenij copia & operæ diligentia á uobis instrumenta suppeditentur, quorum præclaram elaborationem isti horribilis Martis fremitus iampridem interpellando repressérunt. Tui autem operis uidendi ingente teneor desiderio, non modo propter singularem eruditionem & illustres tractatus rerum ἀξιολογωτάτων, quibus esse illud refertum certo scio, sed, ut me tibi indicem, ob honorificam quoq; de me factam mentionem, quemadmodum scribis. Cum tantum enim tribuam iudicio tuo, ut te non facile falli posse existimem, non potest scilicet non esse mihi prædicatio laudis meæ tua iucundissima, quod ueram eam esse persuasum sit. Quanquam, ut muliercula apud Plautum, ego quoq; uel falso tamen laudari multo malo, quam uero culpari. ἀλλὰ λόγον μὲν τοῦτον ἐάσομεν. Tu uero mi Turnebe, perge & adiumenta afferre ad facultatem liberalis scientiæ, quibus hæc cordi est, & decus addere præclarissimis honestissimisq; studijs, quæ in prauitate sæculi nostri minoris fieri, & grauius premi indies cernimus, & horum me amatorem tuiq; nominis studiosissimum diligere. Tibiq; persuade, cum tuos labores tibi ornamento, alijs utilitati & esse & fore, tum ob hos susceptos gratiam tibi habituros omnes sapientiæ & uirtutis cupidos. In quibus primis sententia & existimatio de te mea extabit, & memoria acceptorum beneficiorum communicatione doctrinæ tuæ, præstabitur, & quicquid debetur excellenti dignitati & summæ humanitati tuæ, persoluetur. Te quam re-

ctißime ualere opto. **Vale. Lipſ. prid. calen. VIIbr.**

Ioachim. Camerarius.

NOn poſſum facere quin ſignificem tibi, cum his diebus minus firma ualetudine uterer, neque exirem domo, incidiſſe me in libellum Plutarchi *περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηςηρίων (ex quo deſcripta quædã in Euſebianis legiſſem) & aggreſſum eſſe conuertere eum in ſermonem* Latinum. *Etſi autem antea quoq; percurreram ſcriptum illud, & eſſe mutilum mendoſumq; admodum, animaduerteram, multo tamen magis hoc perſpexi interpretandi opera adhibita. In primo autem limine adhuc hærenti mihi, indicauit amicus quidam ſe uidiſſe libellum hunc translatum in* Latinum *ſermonem ab* Adriano Turnebo. *Suſtuli ſtatim manum & inceptum reliqui, & cupidißima uoluntate perueſtigare inſtitui interpretationem hanc tuam, quam non dubitarem auctam eſſe explicationibus, tam abſtruſarum rerum mentionem magis quam enarrationem complectente libello iſto. Cum autem nuſquam apud nos lucubratio hæc tua inueniretur, uiſum eſt ad autorem demonſtratum rem iſtam referre. Quapropter te oro, ut de opera iſta, & quando data ſit abs te, & ſcriptum ubi expreſſum, ne graueris facere me certiorem. Quod officium mihi abs tua humanitate gratißimum præſtabitur.*

Ioachim.

IOACHIM. CAMERARIVS
Adriano Turnebo.
S. D.

Εὕρηκαμεν modo εὑρήκαμεν Adriane, quod cupidißime expetiuimus, abs te conuerſum Plutarchi ſcriptum περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρησηρίων, *in ſermonem Latinum. Atq; eo pellecto, noſtrũ opus inchoatũ reliquimus et tuam elaborationẽ amplexi adiecimus factũ á me Latinum, ut acceßione libellus augeretur,* Eiuſdem autoris *ſcriptum* περὶ τοῦ Εἰ. ἐν Δελφοῖς. *In quo ſumus admodum luctati cum multis manifeſte corruptis & mendoſis locis, non etiam nullis fortaſſe integris, ſed propter rerum antiquarum ignorantiam mihi minus perſpicuis. Adiecimus explicatiunculas quaſdam, ut leues, non enim inficior, ſic aliquibus quod cogitent quærantq; amplius ſubiecturas, aliquorum etiam intelligentiæ, niſi fallor, profuturas. Sed poſtquam libellus exprimendo abſolutus fuerit, dabitur opera, ut ad te perueniat: Quem tu legens, ſi quid notandum putaueris, de eo nihil obſtare tibi patieris, quo minus tuam ſententiam mihi libere demonſtres. Id in eam partem accipiam, ut ſummi amoris indicium eſſe ſim exiſtimaturus.*

Vale.

Ioachim. Camerarius.

10175788

DOCTISS. ET EXIMIA virtute prædito viro Ioachimo Camerario.

Ἀδριανὸς Τύρνεβος Ἰωαχείμῳ Καμεραρίῳ εὖ πράττειν:

Ἁμα τῷ προσβαλεῖν τοῖς παρά σε χρήμμασι, καὶ τὸν ὄψιν ἐναπερεῖσαι αὐτῶν τῇ διπτρα φῇ, θεῖός μοι, ὡς ἂν ὄμηρος φήσειεν, ἐνύπνιον ἐληλυθέναι ὄνειρος ἔδοξεν ὥστε δὲ ἐγρηγορέναι ἀλλὰ καθ' ὕδην ἐφαντα ζόμην. καὶ γὰρ παρὰ προσδοκίαν καὶ ὀνείρου παραπλήσιον τοῦτό μοι συνεβεβήκει. πόθεν γὰρ, ἔλεγον πρὸς ἐμαυτὸν, ὁ λογιώτατος Ἰωαχεῖμος ἐμὲ γινώσκει; ἔπειτα δὲ, εἰ καὶ τα μάλιστα γινώσκει, πῶς τὸν οὐδάξιον ἀξιοῖ τῶν αὐτοῦ χρήμματων; τέως μὲν οὖν ἠπίστουν ἐκείνοις, ὧν αὐτόπτης ἦν, τοσοῦτός με ἴλιγγος καὶ κάρος κατεῖλήφει. ἐπειδὴ δὲ ὄψε ποτὲ τὸ πάθος κατέσχε καὶ παρέμαυτῷ ἐγενόμην, καὶ ὀνείρου πέρα λογίζομένῳ μοι τὸ πρᾶγμα ἐφάνη. ὅπερ γὰρ οὐδ' ὄναρ ἐλπίσαι πώποτε ἐτόλμησα, τοῦτό μοι ὕπαρ ἀπλωτήκει. πάλιν οὖν ἄλλο τι τῷ ψυχῷ ἐν μέρει πάθος αὐθυπεισῆλθε χαρᾶς καὶ ἡδονῆς ἀμυθήτου. τὰ γὰρ ὑπὲρ ἡμᾶς εὐτυχήματα μέτρον

τρον φυλάττειν ἢν οἶδεν εὐφροσυνης, ἄλλως δὲ καὶ τὸ μέτριον αὐτῆς ἀχαρίστως καὶ μεμψιμοίρως φαίνεται διαθέσεως ἔργον. τὸ ὑπερβάλλον δὲ εὐγνώμονος καὶ μέγα εὐεργετῆσθαι νομίζοντος. ἐγὼ δὲ ἐκείνῳ τῷ ἡμέραν ἐν ᾗ τὰ παρά σου θαυμάσια ἐκομισάμην γράμματα, παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἁπασῶν τὸ ἐμαυτοῦ βίου ἡμερῶν αἰσιώτατόν τε καὶ εὐφημότατόν τε καὶ εὐτυχέστατόν μοι γεγονέναι νομίζων, καὶ τὰς ἄλλας ἁπάσας ὡς ἂν ὁ μὴ συμπάσας, ὡς πρὸς αὐτὸν, ἀποφράδας λογιζόμενος, πῶς ἂν οὐκ ἀπολήσομαι τῆς εὐεργεσίας καὶ τῆς χάριτος ἀναιδὴς εἶην; γλίσχρως καὶ πενιχρῶς χαίρων. ὥσπερ δὲ αἱ πόλεις ἐώθασιν ἀποδημούς τινας ἡμέρας ἄγειν κατορθωμάτων δημοσίων καὶ νικῶν ἐπωνύμους, ἐνιαυσίαις πανηγύρεσι καὶ ἑορταῖς καὶ δημοθοινίαις γεραίρειν καὶ ἀγάλλειν, ἕτω δὴ καὶ παρὰ πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον μοι δοκῶ ἑορτάσειν κατὰ ἔκασον ἔτος τὴν ἐπανιοῦσαν τῆς ἡμέρας προθεσμίαν, καὶ μέντοι καὶ τὴν σὴν ἀπουσίαν ἐν τιμιωτάτοις μεμηλίοις μοίραις φυλάξω, καὶ πᾶσιν ὡς ἐμὲ παραγενομένοις εὐθὺς δείξω, ὡς οὐδὲν αὐτῆς ἔχων ἔτε σπανιώτερον ἔτε κάλλιον. καθάπερ γὰρ φιλαρχαῖοί τινες νομίσματα παλαιᾶ κόμμα-

10175786

κόμματος, ἢ ἐκπώματα ἀρχαίας ἐργασίας, ἢ ἠκρωτηριασμένα καὶ τὴν ἀρχαιότητα σαπρότητι καὶ κολοβότητι παρισάντα ἀγάλματα τοῖς ἰδίοις ἐναποτίθενται ταμείοις, καὶ ἄλλοις αὐτὰ ἐπιδείκνυνται, μεῖζον ἐπὶ τούτοις ἢ περ ἐφ' ἑαυτοῖς φρονοῦντες: ἢ καὶ καθάπερ φιλόπλουτοί τινες ἐπὶ ψηφίδων ἰνδικῶν καὶ μαργαρίτων φιλοτιμίᾳ καὶ λαμπρότητι μεγάλως αὐχοῦσι: τὸν αὐτὸν δήπου τρόπον καὶ ἐγὼ τὸ ἀπὸ τοῦδε ἐκεῖνόν τε τὸν κτῆμα καὶ τοῦ κτήματος τὸν προσθήκιλον, τὸν εἰς τὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἠθέλια περικαλλεστάτην ὠδὴν, θείας καὶ ἀληθινῆς ὄζουσαν κατανυχῆς καὶ ἐπινοίας ἀποταμιεύσομαι, καὶ ἐπὶ τούτοις μεγαλαυχήσω ἐπιδεικνύμενος ἅπασιν, ἀντὶ τῆς βαναύσου ἐκείνης χρυμαίας καλλίστης φιλολογίας ὠποσκευήν. μεταξὺ δέ μοι ἀναγινώσκοντι ἑκάτερον τοσοῦτον εἰσῆλθε θαῦμα τῆς δυνάμεως καὶ δεινότητός σου, ὥστε, εὖ ἴσθι, ὅτι ἂν τὸν ἀρχὴν ἀποκρίνασθαι ἐτόλμησα, εἰ μὴ σκαιὸν ἦν καὶ ἄχρειον σιωπᾶν, καὶ νῦν ἐρυθριῶ μὴ τοῖς ὁμοίοις ἀμειβόμενός σε. ὅμως μέντοι ἀμαθίαν ὀφλισκάνειν μᾶλλον προαιροῦμαι ἢ σκαιότητα καὶ ἀπειροκαλίαν. εἰ δὲ τὸν ἐπιστολὴν ἐμήκυνα καὶ παρατείνων ἐνετρύφησά σοι,

10175786

σάσοι, ἴσως ἐν τῷ δέοντι, συγγνωστὸς ἐγὼ, σὺ δὲ Πίμεμπτος, κακόν, φασιν, ἔχων ἐπίσπασον. τοι αὐτα γάρ ἐστι τὰ ῥίζικα τῶν φλυάρων προκαλεσμένων. ἔρρωσο. ἀπὸ λουτρίας μαΐῳ πεντεκαιδεκάτῃ.

IOACHIMO CAMERARIO eruditiſs. viro & mihi inprimis obſeruando.

Ἀδριανὸς τέρνος Ιωαχείμῳ εὖ πράττειν.

Ἄγει τινὶ καὶ μιάσματι χεδὸν δοκῷ μοι ἐνέχεσθαι, ὅτι τοῦ πρός σε χράφειν καθήκοντος τοσοῦτον ἤδη χρόνον ἀπολέλησμαι. ἐμοὶ ἀλλὰ αἱ περὶ τὸ κοινὸν συμβᾶσαι περιστάσεις οὐχ ὡς ἔτυχεν ἡμᾶς σαλεύσασαι τοὺς δ' ἑτεροτέρᾳ συγκεκροτημένους φύσεως ἕξει, ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν σωϊκῶν χαλκηλάτου σοφοῦ ἴσως ἂν διὰ βάθους καθικόμενα, πολλάκις χράφειν ἀπαλλόμενον εἰσφθαρῆσαι ἐπάλληλοι, τῆς προθέσεως τέως αὐέκοψαν ὅλον ἐμὲ σφετερισάμενοι καὶ ἑαυτῶν ποιήσασαι καὶ οὐδὲν ἄλλο εἰς νοῦν ἐμβάλλεσθαι ἐῶσαι. νυῦ δὲ ἐκ τοῦ κλύδωνος καὶ σάλου καὶ πρικυμιῶν γαλεώτης τινὸς καὶ νηνεμίας τυχόντες, ἐσ-

ρεσμέ-

10175788

ξεσμένης τε καὶ ἀκλύστου τῆς θαλάσσης ἀ-
πολαύοντες, τὸν νᾶν τῶν δυσυχιῶν ἀναπνεύ-
σαντα καὶ ἀποπαλανηθέντα καὶ τῇ τριποθή-
τῳ ἐναποπαυόμενον εἰρλιῇ καὶ ἑαυτῷ γε-
νόμενον, τῇ πρὸς τοὺς φίλους χαρᾷ ἐναχολεῖ-
σθαι καὶ πρὸς ἄλλοις εἶναι ἐγχωρεῖ. εἰδὲ τῶν
περὶ ἡμᾶς μανθάνειν τι ἐπιθυμεῖς, ἔκαιῳ
τὰ γράμματα ἐπέθηκα βέλτιόν σοι καὶ δι-
εξοδικώτερον διηγήσεται πάσης ἐπιστολῆς.
ὅμως ἴσθι ἐνθάδε τοῖς μὲν τὰ τῆς ὑμετέρης
θρησκείας φρονοῦσιν ἀκήρυκτον καὶ ἄσπον-
δον πόλεμον ἐπενηνεγμένον, καὶ τοὺς ζωγρείᾳ
ἁλόντας ἐξ εἰρκτῆς τινὶ ἐπὶ τὸ κήλεον πῦρ
βαδιζομένους, ἡμᾶς δὲ τούτων θεωροὺς δεινότε-
ρα πεπονθότων τῶν ταῖς ἰμωρίαις ὑποπε-
σομένων. ὅσῳ ἐκεῖνοι μὲν ἅπαξ καθ' ἕνα
ταῖς βασάνοις ἐναθλήσουσιν, ἡμεῖς δὲ, οἷς ὑ-
δὲν ὠμὸν καὶ ἀπηνὲς ἀρέσκει, ὁσάκις οἱ δύ-
σλωοι καήσονται, τοσαυτάκις αὐτόπαι καὶ
αὐτήκοοι, τὰς ἰδίας αἰσθήσεις μιανθέν-
δέον αὐτὰς τῶν τοιούτων καθαρὰς διαφυλάτ-
τειν μιασμάτων ἀεί. ἔρρωσο. καὶ φίλων ἐμὲ
διατέλει. Ιουλίου δεκάτῃ.

Eruditiß.

ERVDITISS. VIRO ET omni virtutuin genere ornatiſs. Ioachimo Camerario.

Ἀδριανὸς τέρνες Ἰωαχείμῳ καμεραρίῳ, εὖ πράτ̃ειν.

Κομισάμεν τὰ παρά σε γράμματα ἥδιω ἢ ὡχῶς ἔτυχεν, ἀλλ' ἀπὸ βαθείας παύυ φρενὸς. τοῦτο μὲν ὅτι τὸ δεύτερον ἔγραψάς μοι, ὥσπερ ἐμπεδῶν ἰῶ διὰ τῆς προλαβούσης ἐπιστολῆς πρὸς ἐμὲ φιλίαν ἐσπείσω. τοῦτο δὲ ὅτι καὶ γνησίας ἰνὸς ἀπίκης ἐργασίας, ἔτι καὶ αὐτὸς ἐπαίω, ὅσην ἔδοξε, πολλῷ τῷ γλαφυρῷ καὶ αἰθηρῷ μεμιγμένης. ἐν μέντοι αὐτῶν μόνον ἐμὲ, παρρησιαζομένυ γὰρ αἰνέξη καὶ ἀδὲν ὑποστελλομένυ, ἃ προσῆκε, ὅτι δὴ ἡμᾶς τοὺς ἐνθάδε μαινομένους ἐνόμιζες, ὡς πρὸς ὑμᾶς, τὰ καθ' ἡμᾶς οὐκ ὀρθῶς λογιζόμενον ἀδὲ τ' ἀληθοῦς στοχαζόμενον, ἀδὲ, ὡς ἄνδρες φαίη ἴκταρ βάλλων. ὥσπερ γὰρ ἐλάσμαλά τινα χαλκᾶ ἤτοι κεχρυσωμένα ἢ χολοβαφινὰ οἷα φαντασίαν παρέχεται ἀληθινοῦ χρυσίου αὐτοῦ τῇ λαμπεδόνι σίλποντα, τὸν αὐτὸν δήπου τρόπον καὶ τὰ ἡ-

τὰ ἡμέτερα ὑποχαλκά πως ὄντα τὰληθὲς
ἀπαυγάσματί τινι νοθεύει καὶ κλέπτει ἐξ ἀπό-
πτου, καὶ δηλαδὴ πλησίον παραπύπτοντι καὶ ἔ-
νατενίζοντι σαφῶς φανέντα. ἐπεὶ ἕνεκα βιβλίων
ἡμεῖς μὲν πενόμεθα ὑμεῖς δὲ ὑπερπλουτεῖ-
τε, καὶ ταύτῃ παρ' ὑμῶν ἐμπορευόμεθα τὴν
ἐμπολήν, καὶ κέδρον νομίζομεν τὴν γερμα-
νίαν, ὥσπερ ταννῦν μάλιστα πασῶν ἐπαρχι-
ῶν ἀργυρῖτιν καὶ χαλκῖτιν ὀρύσσεται μεταλ-
λευομένη, ὅτῳ δὴ καὶ τινὰ βιβλῖτιν γόνιμον
μάλα καὶ διαρκῆ μεταλλεύεσθαι, τεκμαι-
ρόμενοι τῷ πληθει τῶν δεῦρο εἰσαγομένων βι-
βλίων. ὡς πολὺς αὖ αὐχμὸς τὴν ἡμεδα-
πὴν κατέχει τὰ τοιάδε ἀγωγίμα, εἰμὴ γερ-
μανία, ὧν δύπορεῖ μετέδωκεν ἡμῖν. καὶ μὴν
ἡμᾶς ἄλλως πόλεμοι πολέμως διαδεχό-
μενοι ἄνω καὶ κάτω πεπλεύοντες σρέφουσι καὶ
ἐνίοτε τὸν περὶ αἰχμαλώσεως κίνδυνον ὑπαφέ-
ρουσιν. ὑδέτις, ὡς ἂν ὁ ποιητὴς φήσειεν μέ-
τεσι παυσωλὴ, ὑδ' ἠβαιόν. οἶδα δὲ ὡς ὁ πό-
λεμος ὑ σιτεῖται τεταγμένα. λοιπὸν ὧν
ταῖς εἰσφοραῖς τετρῦφθαι ἅπαντας. οἱ μὲν
γὰρ ὑμέτεροι πόλεμοι ὀξειάς ἔχουσι ῥοπὰς
καὶ κρίσεις καὶ ἀπαλλαγὰς, ἡμεῖς δὲ πολέ-
μῳ ὥσπερ νοσήματι χρονίῳ παρατεινόμεθα,
καὶ ἔτι σὰρκωχὴ ἴσως παρεμβέβληται,
ταυτὴν

10175788

ταυτὶῳ ἄχ ὡς ηαφιτμὸν ἐδεξάμεθα, ἀλλὰ
ὀλίγον ὕστερον νεανιηωτέρᾳ ηαὶ ἐξαισιωτέρᾳ
ωαροξυσμῷ ἔφοδον ἔσεσθαι ωροσδεχόμεθα
ηαὶ ὑωοφρισσόμεν, ἀδὲ τοσοῦτον τῇ ωαρά-
στη ἐηεχειρίᾳ χαίρομεν, ὅσον τὸ ἐπερχόμενον
δεινὸν ὀρρωδοῦμεν. ἔτι δὲ ηαὶ ἡμᾶς τὲς ἀμφὶ
ωαιδείαν ωσχδάζοντας ἴδιαι ηῆρες αὐῖῶσι,
θεολόγων λιγῶν ἐφέδρων ἀεὶ ηαιροφυλαηοῦν-
των ηαὶ ὑωοσηελίζειν ὅπιθυμούντων ἅμα
ηαὶ ωειρωμένων. οἱ ηαὶ δημηγοροῦντες ἄχ ἀ-
ναδύονται λυμεῶνας ηαὶ διαφθορέας τῆς νε-
ότητος ἡμᾶς ηαλεῖν, ηαὶ ωερὶ ἡμῶν δεινὰ
ηαὶ δεινῶν ωέρα λογοποιεῖν, ἀδὲν τῆς ἀλη-
θείας ωρολιμῶντες, ηαὶ δ' ἐγηαθέτων ἀνδρῶν
ὑωοψιθυρίζοντες εἰς τὰ τοῦ βασιλέως ὦτα,
ηαὶ τῶν τῷ βασιλεῖ ωαραδωασευόντων, ἐ-
νίοτε δὲ ηαὶ διαπρεσσευόμενοι τοῦτο ωέρι. ἀ
γαρμόνον: ἐν Αρηαδίᾳ (ηατὰ τὸ ωαλαιὸν
λόγιον) βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν, ἀλλὰ
ηαὶ ἐν λευηετίᾳ, οἱ τῇ θεσμοφόρῳ χάριν ἄχ
οἴδασι τῆς τοῦ σίτου εὑρέσ.ως. νεῶ ὄν ἐρωτῶ
σε, ἆρά γε τοιούτους ἔχοντες αὐλιπάλους μα-
ηαριοῦμεν μᾶλλον ὀφείλομεν ἢ ἐλεηθῆναι:
ὧν ἡ μνησιηαηία ηαὶ ἔχθρα ἀδιάλλαητος
ηὴ ἀϊδιος. ηαὶ ταῦτα ἀναγηαζόμενοι ὑωε-
πηχέναι, ηαὶ ἐχεμυθίαν τε ηαὶ ἀηριβείαν σέρ-

ξαι. ἀμυύαθαι γὰρ τολμῶσι καὶ μὴ σιγῶ-
σιν, εὐθὺς κατὰ ϖόδας τὸ τῆς αἱρέσεως κα-
τηγόρημα ἅπαντᾷ δεινὸν καὶ Φρικῶδες. ἐν-
ταῦθα ϖῶς δοκεῖς; τῶν μὲν ϖυρὶ κηλέῳ κο-
λαζομένων, ὡς ὑφ' ἱπποκράτους τῶν νοση-
μάτων τὰ αἰήκεσα ϑεραπεύεται τῶν ἄλλων
ἀποχινώσκον· ἰαμάτων. τούτων δὲ τοιούτων
ὄντων, ϖῶς ὐχ ὑμεῖς ϖαραπολὺ ϖαρδυ-
μερεῖτε ἡμᾶς; ἀθλιωτάτους ϗεδόν ἅπας πάν-
των τῶν ὑϖὸ τὸν ἥλιον. ἀλλ' ὦ τὰν, ἢ μεμψί-
μοιρον εἰ καὶ ἀγνώμων ὀπὶ βαθείας ἡσυχί-
ας ϗ ῥαστώνης λιπαρᾶς ϖολλὴ ὄλβον ϖρο-
σοδεύομενον, ἢ καλαγελᾶς ἡμῶν εἰρωνευό-
μενον, ϗ μυκτήρ τις ὕπεστι τῷ μακαρισμῷ,
ϖολλὴ εἰμὴ ἀφ' ὑμῶν εἰς ἡμᾶς τὸν φθόνον με-
τοχετεύειν ἐϖῳδάσας, ὡς καὶ οἶμαι. ἀλλὰ
πόνων, τοῦτο γε ἕνεκα, ϕεῖσαι ὦ γαθέ. ἡμεῖς
γὰρ ἤδη, ὅπερ καὶ τέρας, ἐν ἀτυχίᾳ φθονού-
μεθα, καὶ δὴ καὶ μισούμεθά γε ϖρός, ὑϖὸ
ϖολλῶν κηφήνων, οἵτινες ἀργίαν ἀξιοῦσι
ϖόνου καὶ ἀρετῆς ἆθλα νομίζεσϑ μόνλω, καὶ
ἐκβάλλειν ϖροθυμεῖσθαι τὴν ἐλευθέριον ϖαι-
δείαν, ὡς ἐφέσιοί ϖοτε τὸν ἐρημόδωρον ἐφυγά-
δευσαν, ἐϖαιπόντες: μηδεὶς ἐν ἡμῖν ἀγαθὸς
ἔστω. ἔχεις αὐτάλλαγμα ὧν ἐμοὶ ϖροσαναι-
κλαύσω, ἅ σοι ϖροσανεθέμλω. ὅσῳ δὲ βελ-

τίονων

10175788

λόνων πεπείρασαι πραγμάτων, ἴσσ᾽ ἔτω γεν-
ναιότεροι ἡμεῖς οἱ χειρίστῳ συγκεκραμένοι
δαίμονι, τὸ κακὸν, ὡς δὴ ἀμεθα, περιτέλ-
λομεν, ὑδὲ τὴν συμφορὰν δημοσιδόμεν,
πολλὰ ἢ ἀναγκαζόμενοι, ὥσπερ νυὶ σύγε
ἀνάγκῃσι ἐμοὶ προσήνεγκας τῆς παρεξετά-
σεως. ἤδη δὲ καὶ ἐμοὶ ἐπῆλθε, τὴν ἐχαλιὰν
ταύτην, ἣν ὀλοφύρῃ, ὡς χεδὸν ἔξω τῆς οἰκημέ-
νης ἐξοικισθεὶς φθονεῖν σοι, ἄτε φιλερήμῳ ὄν-
τι, καὶ τοσούτων ἀνθρώπων πάτου ἡδέως ἂν
ἐξισαμένῳ. καὶ γὰρ ὑπὸ μυρίων ὅσων ἐν-
ταῦθα φρυρεῖσθαι ὀφθαλμῶν βαρὺ προσί-
σασι, φθόνῳ τε καὶ βασκανία δυσχερεστάτῃ
παρὰ τῶν συλλαχόντων ἐμοὶ διδάσκειν ὁδὰξ
ἐμφυόμενον πάντων μάλιστα δὴ πιτίθεται ἐ-
μοί. τὸ δὲ ἔξω κάπνου καὶ κύματος ἐριοδρο-
μῶν φέρῃ ἐν ἀκλύστῳ καὶ ἀκυμάντῳ θαλάσ-
σῃ, ἡμῶν πολλάσι καὶ σύρτεσι προσπαλαιόν-
των. ἔρρωσο, καὶ με φιλῶν διατέλει. σὲ παρ᾽
ἐμοῦ ἀσπάζεται πέτρος γαλάνδιος, εὐτυ-
χῆσοι πάντα, ὡς ἄξιος εἶ, εὐχόμενος, καὶ
τὴν σὴν σοφίαν τε θηπῶς.

DOCTISS. VIRO ET OMNI
virtute prædito mihiq́; inprimis
obſeruando Ioachimo
Camerario.

10175788

Ἀδριανὸς τέκνῳ Ἰωαχείμῳ χαίρειν πρόπεμπτον.

Ὑπερήμερόν σοι ὁμολογῶ γέγονά σοι, ὦ λογιώτατε Ἰωαχεῖμε, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ἀπεικότως. τοῖς γὰρ δευτέροις σου γράμμασιν, ἐν ὅσῳ ῥαθυμίᾳ καὶ ἀργίᾳ δὴς ἀλύω, ὡς αὖ ἴσως φαίης, δεῦρο κομιθεῖσι προσελήφθην. ἀλλ' ὦ λῷστε νόσημάτι βαρὺ ἐντακέν μοι καὶ κλινήρη μὲ ῥίψαν, τῇ πρός σε τῶν γραμμάτων ἀμοιβῇ δὴ καὶ εἴασεν ἐπιθέσθαι. λῷ δὲ, ὡς οἶσθα, τοῖς εἰς πλὴν σύγκλητον τελοῦσιν εἰς τὸ βουλευτήριον μὴ ἀφικομένοις παραίτησις δικαία, ἡ τῆς νόσου ἐπωμοσία. ἃ δὲ ἐν τῇ προλέρᾳ ὑπολῇ ἐξετραγώδησας μὲν, ὑμεῖς τὸ δεινόν γε ὑπερπέπαικας, εὖ ποιῶν ἐν τῇ δευτέρᾳ σιγῇ παραδοθεῖσαι παρήνεσας. ὡς ἔμοιγε κριτῇ καὶ λήθης ἄξια πανὶ ἁπασίν ἔστιν. ἐγὼ γοῦν ἐπ' αὐλοῖς ἡδέως ἂν ἑλκύσαιμι τῆς ἀμνησίας κύλικα τὴν ζωρολέπλων. τῶν γὰρ ἀβουλήτων καὶ δεινῶν προσισαμένη μνήμη τὸν νοῦν δὴ ἐᾷ πρὸς τὰ ἡδέα ἀποσχοληθεῖσαι, ὅλον ἑαυτῇ προσεδρεῦσαι ἀναγκάζουσα περὶ δὲ βιβλίων ἐκδόσεως ἤδη προπέρυσι τὴν μακρὰν ἐτίμησα τῇ τυπογραφίᾳ,

φία. ἀποταξάμενος αὐτῇ ὡς ὀλέθρῳ καὶ λοιμῶν καὶ νόσων καὶ ὑγείας. καὶ νῦν ὁ μορέλλιος τὰς βασιλικὰς τάπας μεταχειρίζεται, ὅσις περὶ τῶν σωφρονικῶν ἐπιστολῶν ἐρωτηθεὶς, ἀνεκδότους ἐκείνας ἔφησεν εἶναι. ὁ δὲ ὥσπερ θεοκλυτῶν καὶ πολιούμενος χρεωλιάζεις παρ' ὑμῖν φθίνειν τὰ ἐλευθέρια μαθήματα, ταῦτ' οὖν καὶ ἡμῖν συμβαίνει τὸ ἀτύχημα, αὐχμὰς ἤδη τῆς παιδείας ἐπιλαμβανομένης. καὶ ὡς λάκωνις φήσειεν ἄν: ἔρρει τὰ καλά. οἱ γὰρ παρ' ἡμῖν τὴν σοφίαν μελιόντες ὡς ὑποψύχροι καὶ ὑποσόλικοι δακτυλοδεικτοῦνται. καὶ ὡς ὄδὲν δέον ἐν τοῖς μὴ ἀναγκαίοις καὶ μὴ περισπῶσι σφᾶς αὐτοὺς καταιρύχοντες. ἐν ᾧ δὲ ταῦτα ἔγραφον θρᾷς ἦν, ὅτι τὸν βίον μεθήλλαξεν ὁ Φίλιππος. καὶ ὁ λάγνης διεβεβαιοῦτο ἡμῖν ὅτως ἔχειν καὶ τότε περὶ χρεμμάτια κομιδῇ ἦν αὐτῷ περὶ ὑχειρίζετο. ἠχθέσθην τῇ ἀγγελίᾳ, ἀνωδυράμην τὴν τῆς παιδείας συμφοράν. ἥτις ἐπὶ τῷ σήμαλι τάνδρὸς δοκεῖ μοι ἐκ ἂν ἀδίκως κείρασθαι ἄτεπερ ἀπολέσασα τ' αὐτῆς κορυφαῖον, καὶ νῦν ἐν σοὶ πως τὰ τῆς παιδείας σαλεύει. ἀλλὰ σὺ ἡμῖν εἰς πολλὸς ἐνιαυτὸς ἐρρωμένος καὶ ὑγιαίνων διατελοίης. ἔρρωσο τῇ πρὸ δέκα καλ. Ιουνίας.

10175786

V. CL. ET DOCTISS. mihiq; inprimis obseruando Ioachimo Camerario.

ADRIANVS TVRNEBVS Ioachimo Camerario

S. P. D.

QVod ad te scribere tam diu intermiserim, Ioachime doctißime, obsecro te, ne id obluione tui aut negligentia factum putes, sed communium temporum iniquitate, quibus bellum ciuile de calamitatibus nostris nos cogitare fere tantum cogebat, nec scribere quicquam tutum erat, cum quæuis suspicio capitalis esset. Quam insani & obstinati animi hominum hic fuerint ad se & patriam perdendam, quam ad omnem sæuitiam & immanitatem efferati, commemorarem, si oratione consequi possem. Ego antea sic existimabam, gentem nostram humanitate nulli natieni cædere, quæ mihi nunc in diuersum palmam obtinere prope uidetur, cum de barbaria cum Scythis certare posse uideatur. Vixi in ciuitate amplißima (si modo ciuitas habenda erat) in qua cum ius diceretur de quadrante, homo tamen impune interficiebatur: Non tantum magistratibus dißimulantibus, uerum etiam sicarios mercede incitantibus. Eo tempore, ut animum à malis communibus auocarem, auctores bonos, quantum per molestias animi poteram, euoluebam, & inter legendum semper aliquid

quid obſeruabam, & in aduerſaria referebam. Earum obſeruatiuncularum (ſic enim appellandæ ſunt) Sunt enim plæræq; leues & tritæ ac uulgares, & tumultuaria fere opera collectæ, cum docendi publice etiam tum munere interpellarer, non tam uoluntate mea ac ſponte, quam amicorum rogatu & pene coactu, duodecim libri nunc eduntur. Reliquam earum ſiluam, quam ueluti in Sibyllæ foliis perturbatam habeo, ut ad editionem quoq; parem, flagitant. Hi libri, ubi in publicum prodierint, uereor, ne quis dicat, quo tempore hic homines interficiebantur, non ceſſaſſe me, ſed atrociß. ſicarium fuiſſe, qui bonos auctores iugulauerim. Sed quid attinet de nugis meis tam multa ſcribere, & tibi moleſtiam creare. Quæ quidem hoc ipſo tamen mihi uendibiles fore uidentur, quod interdum honorifica tui appellatione exornantur. Sed tibi pluribus moleſtus non ero, Optaboq;, doctiß. Ioachime, ut feliciter ualeas, & me ames. Vale. Lutetiæ Cal. Iunij.

CLARISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario, præceptori obſeruando.

S. D.

CIgnea profectus in patriam ueni XIIII. cal. ubi intellexi matrem ex quibuſdam Sybari ſermonibus cogitationem de negotio Amphictyonico depoſuiſſe. Quare cenſeo iam, quorſum euaſuræ ſint deliberationes Auguſtanæ, expectandum eſſe.

Interim me uult mater ornari titulo profeſsionis noſtræ. Cui ut obtemperem intra paucos dies, quod fiat Chriſto bene fortunante, in Italiam proficiſci decreui. Heri intellexi ex tuis ad D. Bomgartnerum litteris, quæ per me cum D. Danielo agi uolueris. Verum cum id regreſſo iam me coram fieri non poſsit, agam per litteras. Vxorem tuam arbitror ad te ſcribere. Apud eam Dei beneficio recte ſunt omnia. Nos hic de conuentu certi nihil habemus. Bene & feliciter uale. Norибergæ VIII. *cal. Maij.*

T. *Matthæus Irenæus.*

CLARISSIMO VIRO IOAchimo Camerario, bonarum litterarum præſidi incomparabili, amico ſuo vnice venerando.

S.

LItteris tuis optatiſsimis, uir clariſs. ſine mora reſpondiſſem, niſi mihi bellorum luctuoſorum & obſidionis anguſtiæ tabellarij copiam abſtuliſſent. Proxima uero obſidio, Dei miſericordia, nobis in ſalutem conuerſa eſt, nata enim ex ea tandem nobis eſt pax diu ſperata, ut arbitramur, illo plus quam Troiano bello ſepulto. De interitu litterarum ac temporum iſtorum atrocitate & turbulentia iuſta tibi eſt querela, atq; ego ſatis uideo tibi eo acerbiorem inuri dolorem, quo cæteris omnibus litterarum

rum cognitione es exquisiticre, & litteratæ uolu-
ptatis ἀκριβεστέρα αἰσθήσει præditus. Sed solatium
afferet tibi non mediocre officij tui conscientia, qua
munitus & præclare consistes, & uulgi falsum iu-
dicium rumoresq; omnes unius æstimabis assis. Equi-
dem animum tuum placidum & naturam pacificam
ab omnibusq; turbis abhorrentem non possum non
amare, tametsi hoc sæculum uix ferat quieta ingenia
& reperiantur καὶ πλεῖσοί τινες ὀχλομανδύν-
τες. Ego in ea uersor urbe, quæ diutino & pene Pe-
loponnesiaco bello miserrime uexata est. Et disrum-
por, esse nonnullos hic qui post tantam belli diutur-
nitatem nondum dedicerunt γρωσιμαχεῖν. Nar-
rationem tuam de Eobano Norimbergæ editam
non uidi. Litteræ tuæ proximæ ueterem tuum in me
animum spirant. Meam uicissim uoluntatem cum o-
mni opera & studio tibi remetiar, εἰσόκ' ἂν τιμὴ
ἐν σήθεσσι μένῃ καὶ μοι φίλα γυῖα ὀρώρῃ.
Optime uale. Die Thomæ Anno 1553.

Philippum Melanthonem per occasionem ho-
norifice salutabis meo nomine.

T. Antonius Niger.

CLARISSIMO VIRO IOA-
chimo Camerario summo bonarum
litterarum præsidi, amico
suo plurimum ve-
nerando.

QVum Doctor Hermannus Fecheltus uir eximius & amicus noster uenerandus mihi significasset se Lipsiam ἐν παρόδῳ uenturum, facere non potui, uir clariss. quin tuis amantissimis litteris breuiter responderem, tibiq; de narratione Eobanica missa gratias agerem, quæ mihi periucunda accidit, non solum quod mei honorificam complectatur mentionem, sed etiam quod totius illius ueteris sodalitij memoriam nobis refricet, atq; id quasi in theatro spectandum proponat. Animi uero tui propositam rationem non possum non collaudare, qui statutum habes in susceptis & perpetuo á te celebratis studijs perdurare. Quum enim mecum reputo τὸ ζηλῶσόμενον ἐκεῖνο, ἔρδ' οἱ τίς ἧμ ἔκας & εἰδ' εἰκ τέχνῳ, facile perspicio te á uere præclaris illis studijs nunquam declinaturum, qui scio in Græca literatura neq; apud Germanos (absit ut hoc auribus tuis dem, á quo adulandi studium abest longissime) neq; apud Gallos, neq; ipsos Italos, reperiri quempiam, qui contra te nominari possit. Quare uir clariss. oro atq; obtestor ut laborem eum, de quo mihi scribis, inchoatum aliquando absoluere coneris, & Græcas litteras, quas iam de thesauris tuis insigniter locupletasti copijs & opibus tuis ornare pergas. Faxit uero Deus opt. max. ut & Lipsiæ nobis uicinus consistas, & diu ualetudine integra fruaris. Ex Braunsuiga. Die XII. Februarij. Anno M. D. LIIII.

Antonius Niger.

Clariß.

CLARISSIMO ERVDITISSIMOQ; viro Ioachimo Camerario amico vetuſtiſs. ſuo.

§.

QVod hactenus ad binas tuas litteras è Nornberga ad me datas, nihil reſpondi, in cauſſa fuit, quod quo in loco eſſes, ipſe ſcire non poſſem. Nam non longe ab eo tempore, quo poſteriores tuas accepi, tumultus ac perturbatio iſta Marchionica incidit, quæ & Noricum & Saxonicum agrum infeſtauit. Sed tamen ut ſcias, nos eam rem, de qua poſterioribus tuis literis nobis mandabas, non neglexiſſe, ego ſtatim ut eas litteras accepi, Cisnero, qui hic diſcipulos alit, & rei ſcholaſticæ operam ſuam locat, quæ uoluntas tua eſſet, indicaui. Is adoleſcentem ad ſe uocauit, deq; ſtudijs eius percontatus eſt, iuſſitq; ut ſuis lectionibus ſuaq; opera uteretur, ſed quantum intelligere potui, ille ad hunc poſtea nunquam redijt. Quod tibi eo ſcribo, ut intelligeres nos paratos fuiſſe, quacunq; in re poſſemus, & illi prodeſſe & tibi gratificari, neq; id per nos, quo minus fieret, unquam ſtetiſſe. De reliquo negotio, puto D. Vitum iam olim tibi reſcripſiſſe. Ego, mi Ioachime, quod ad nos attinet, cupio me tibi commendatum eſſe, noſtramq; amicitiam, ut à pueris prope cepit, ita inter nos perpetuam atq; conſtantem eſſe. Quod ſi temporum horum iniquitas aliquando facit, ut ſcriptis inter nos colloqui non poſſimus, ego tamen quod ad me attinet, animo ac cogitatione præſens tecum

ſemper

10175786

ſemper ero. Bene *uale.* IIII. Id. Septemb. Hei-
delbergæ.

Micyllus T.

CLARISSIMO VIRO IOA-
chimo Camerario bonarum litte-
rarum inſtauratori, amico
reuerenter colendo.

S. D.

CLariß. Vir. Verum illud eſſe experior quod eſt apud Plutarchum: οὐ μόνον τὰ τῶν φίλων κοινὰ, ἄλλα καὶ τοὺς τῶν φίλων φίλους κοινοὺς εἶναι. Cum D. Philippo Melanchthone non ita pridem contracta mihi amicitia eſt, cuius fructum amplum ſatis me habere putabam, ſi id conſequerer, ut eius mihi amorem retinerem. At ille ad eam qua me complectitur beneuolentiam, tuam etiam mihi conciliauit. Sic enim eſt in ipſius ad me literis. Ad Ioachimum Camerarium uelim aliquid ſcribas, qui te de mea prædicatione amat. Non ſolum igitur ea quæ mihi cum Melanchthone coniunctio intercedit, mihi per ſe dulcis eſt & grata, ſed in eo etiam quæſtuoſa, quod me altero amico auxerit, Ioachimo Camerario, cuius doctrinam exteræ etiam nationes admirantur: cuiuſq; ob os Graij ora obuertunt ſua. Quod ſi tu inficiaris, meq; excludis, ſeruo D. Philippi epiſtolam, qua poſthac pro ſyngrapha utar. quanquam ſyngraphis nihil opus eſſe puto, cum eam in te humanitatem eſſe intelligam, quæ

plus

plus mihi ultro largitura ſit quam uel petere uere-
cunde poſſem. Peto autem nihil aliud, quam ut faci-
as, quod te iam facere Philippus ſcribit, meq; amore
tuo non indignum iudices. At cum ille addat, de ſua
prædicatione id fieri, peto etiam, ut poſthac non
tam prædicationem illam, quam meum erga te ani-
mum ſtudiumq; ſpectes. Quid D. Philippus de me
tibi dixerit, diuinare non poſſum, ſed uereor ne ſuo
erga me amori pluſculum indulgens aliquam forte
de me opinionem fecerit, quam ego non facile ſuſtine
re queam. Quæ ingenij ac doctrinæ ſunt, in me ieiu-
na ualde eſſe fateor, eos tamen qui ijs uirtutibus præ
diti ſunt, colere me ac uenerari, coram tibi Lipſiæ
declaraſſem, cum iſtic una cum Andrea Mylio uete-
re diſcipulo tuo eſſem, ſi præſentem uidere te & ſa-
lutare potuiſſem. Quod ſi præter ea quæ colimus
ſtudia ad coniungendos animos conſtituendamq; fir
mam amicitiam, præcipue etiam ualere exiſtimas,
ſinceram atq; incorruptam religionem, mutuumq;
in inuocatione & uero Dei cultu conſenſum, in eo
non nego à me datam eſſe operam, ut à Papiſticis fu-
roribus ac ſuperſtitionibus, quibus eram immerſus,
me uindicarem, relictaq; Gallia & patria mea Ant-
uerpia, eius Eccleſiæ pars aliqua eſſem, in qua ſonat
pura Euangelij uox de Domino noſtro Ieſu Chriſto,
quamq; uos ueſtris ſcriptis non mediocriter & iu-
uiſtis & ornaſtis. Hanc certe coniunctionem in his
ærumnis & publicis mundi calamitatibus, fretus be-
nignitate Dei, qui filium ſuum mihi etiam donatum
eſſe uoluit, ſeruaturum me uobiſcum confido, uſq; ad
extremum

10175786

extremum uitæ ſpiritum. Quod ad reliqua amicitiæ officia attinet, etſi magnis locorum interuallis diſiuncti ſumus, & exigua ſunt, quæ á me in te proficiſci poſſunt, efficiam tamen ut intelligas, nullum ſtudium erga te obſeruantiſsimiq; hominis uoluntatem mihi unquam defuiſſe. Literis meis quantumuis ineptis interdum te inuiſam, teq; rogabo ut id æqui boniq; conſulas, uel D. Philippum accuſes, qui primus ut ad te ſcribere auderem, autor mihi & hortator fuit. Vale. Roſtochij. cal. Februarij M. D. LIIII. Salutat te D. Iohannes Draconites, qui olim tecum, nunc nobiſcum uiuit coniunctiſsime.

Tui ſtudioſiſs.
Iacobus Bordingus Medicus.

CLARISSIMO VIRO IOACHIMO Camerario Prefeſſori in Academia Lipſenſi, amico reuerenter & religioſe colendo.

S. D.

CLariſsime uir, Non apud me ſolum, ſed uniuerſum cœtũ etiam doctorũ in noſtra Academia magnam gratiam & laudem conſecutus es, tua narratione de doctiſsimo et humaniſsimo Poëta Eobano inſtituta, & oratione habita in funere fortiſsimi Principis Mauricij. Quorum alter carmine, alter armis excelluit. Et decebat ſane gratitudinem animi erga

erga te declarari, non ſolum uerbis ſed ipſis etiam rebus. Quod ut nunc pro dignitate non fit, ita ſpero fore in poſterum ut fiat. Interim uerbis ego gratias ago, & animo habeo ingentes, & precor ut Deus uos poſt iſta triſtia funera iterum conſoletur, & ſcholas ueſtras clementer regat atq; defendat. Optime uale & dulciſſime. Marpurgi X. Februarij.

Adamus T.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQ; viro, virtute & prudentia excellenti prædito Ioachimo Camerario, amico cariſsimo.

S.

TAnti facio Amantium, ut non dubitem ipſius cauſſa facere, quæ poſsim, omnia: Is cum ad me miſiſſet ſororis ſuæ filium, & mihi poteſtatem decernendi feciſſet: Eum ne Ienæ an Vitebergæ operam litteris dare, magis ex re ipſius eſſe, conueniat, ut ſtatuerem. Volui ipſum tuum conſilium audire, & autor ei fui, ut Lipſiam ſe ad tuam humanitatem mature conferret, ut quidquid ei conſuleres tu, id & ego & ipſe approbaremus. Ego quoniam intelligo eum aliquandiu neglexiſſe exercitium ſtudiorum, cenſerem in hac ſchola noſtra, in qua ſimplice & perſpicua methodo traduntur initia artium, eum non ſine fructu per ſemeſtre uerſari poſſe: & uolenti apud nos commorari obtuli hoſpitium. Sed tuum con-

10175786

um consilium sequemur, quoniam par est Amanti-um sequi eius authoritatem, quem ob memoriam ueteris auicitiæ, & ob uera bona cumulatissime in tam exculto pectore recondita, merito ueneratur & colit. Facies igitur *me de consilio tuo certiorem. Epistolam tuam proxime ex nundinis ad me missam, ad eum finem, ad quem procul dubio destinata fuit, intellexi.* Respondeo autem *hoc, quod sentio: Me tibi uero & sincero amore addictissimum esse. O quantum impendet nobis utrinq; periculi, ex deterrimis contentionibus impurissimorum ingeniorum. Colamus itaq; ueram amicitiam, duce uerbo Dei, & comite iusticia, execrantes eos, qui bella uolunt. Audies breui, ut uereor, quæ nec tibi, neq; mihi placebunt. Bene uale, cum omnibus tuis. Datæ celeriter Ienæ* XIIII. *Ianuarij. Anno* M. D. LV.

T. Ioh. *Stigelius.*

DOCTISSIMO AC GRAuissimo viro Ioachimo Camerario in Academia Lipsensi, suo carissimo.

S. D.

QVamuis duabus uel tribus Epistolis meis nihil Ad hunc diem responderis, Vt cogitare forsitan Mihi liceret, affici

Te lit-

Te litteris meis parum:
Tamen uel obseruantiam
In te meam, uel ob tuam
In me uicissim pristinam
Humanitatem, scribere
Duxi tibi nunc quippiam.
Nam quando primas litteras
Vrgente nostro Rhetico,
Ad te dedissem, non modo
Humaniter rescripseras
Mihi, sed insuper quoq;
Amanter, ut frequentius
Ad te, rogasti, scriberem.
Molestus ergo si tibi
Existo crebrioribus
Scriptis meis, humanitas
Culpabilis sibi tua,
Non impudentia est mea.
Occasionem præbitam
A te libenter urgeo,
Hærere quod desiderem
In parte apud te quapiam.
Fauoris erga me tui
Auarus, ut qui maxime.
Mei fauoris mutui
En mitto pignus, optimi
De flore lactis conditum
Coni figura caseum.
Tu mente grata suscipe
Et munus ipsum, pectoris

10175788

Amantis & te non leues
Teſtes meas has litteras.

Bene & feliciter uale uir doctiß. Pragæ ipſo die feriarum S. Stephani. Anno M. D. LIII.

Mattbæus Collinus.

IOACHIMO CAMERARIO
Pab. Matthias Stoius.

S.

Doctum carmen & eleganter à te
Exactum, uigili labore, ſæpe
Legi nobilis eruditiorum
Muſarum uenerabiliſq; cultor:
Sed cognoſcere quod libenter opto
Indagare quod & diebus hiſce
Incepi, procul en fugit, nihilq;
Nunc inquirere quod queam relictum eſt,
O doctos Ioachime clare luſus,
O gratas mihi collocutiones,
O & mirificam inuolutionem,
Structuras operiſq; Dædalæi.
Quam ſum corporis inſecutus umbram,
Nunc euanida tota ceßit, undam
Pro re capto meram leueſq; uentos.
Theſaurum mihi das nimis fugacem.
Vix uiſa uolat omnis arte, imago,
Et me ſic, dubiumq; neſciumq;

Captan-

Captantemq; manu nihil, relinquis
Intricatior omnibus molarum
Versuris & euntium rotarum
Res hæc tota uidetur esse, nostra
Quæ sententia sit tamen uideto,
Si quis pro stadijs legat secundo
Versu, passibus, omnis est futura
Quam planissima supputationis
Illius ratio, nec est necesse
Isthæc pluribus explicare uerbis.
Namq; æquatio terminis sub illis
Consistit, tribus in prioribus, qui
Dantur uersiculis, licetq; textu
Nil quicquam uariato idem uidere.
Sed coram uolo cogitationes
His conferre tuas. Vale προθύμως,
Et me, sicut amas, amare perge,
Ac inter numerum refer tuorum,
Versus hos etiam legas amanter,
Te quæso, satis asperos rudesq;,
Quales nunc peregrina Musa fundit,
Dum celi spaciatur inter orbes,
Obscurosq; Copernici recessus.
Sed nunc en uocor ad meos labores.

ἔρρωσο.

CLARISSIMO VIRO IOA-
chimo Camerario amico suo
obseruando.
S. D.

10175788

Gothæ cum essemus, ego & Stibari tres, una cum Dimaro & Fischera Georgio nostro, in puerum tuum forte fortuna incidimus, magnamq; ex eius præsentia & sermonibus cepimus uoluptatem. Nam & ubi tu esses & quid ageres, nobis significabat, & de itinere etiam tuo docebat. Nos iussu D. Danielis Stibari, apud quem dies quinq; in thermis posuimus, Lipsiam recta tendimus. Nunc te, mi opt. atq; humanissime Vir, & Præceptor obseruande oro atq; obsecro, ut, si fieri poterit, Neopyrgi nobis conuenendi tui facias potestatem, ne Lipsiæ te absente, rebus impeditis, hæreamus. Nos ante mensem Galliam reliquimus. Cætera coram. Hæc puero, summo mane admodum festinanti dedi. Ignosce quæso lituris. Salutant te Stibari amanter. D. Præceptorem officiose salutamus. Gothæ XXVII. Maij. Anno M. D. LIIII.

T. S.

Petrus Lotichius Secundus.

CLARISSIMO VIRO IOAchimo Camerario Præceptori suo obseruando.

S. P. D.

VT in Italiam absoluendorum studiorum causa proficiscerer, Clariss. uir & præceptor obseruande, honestissime à D. Stibaro dimissus sum, qua de re gratias ago tibi quas debeo maximas, qui testimonium mihi probitatis in litteris tuis tribueris.

ris. Solem mihi uidere uisus sum nouum, & totam mundi faciem hilariorem, postquam ijs carere molestijs cepi, quæ antea non obruebant me tantum, uerum etiam conficiebant planißime. Nunc otio tantũ abundo, quantũ semper optaui. Audio Medicos magna cum uoluptate uiros doctiß. & Robortellum Robortellus historias & Aristotelẽ interpretantem. Patauij igitur aliquantißper manere decreui. Sed quicquid egero, faciam te certiorem. Paulus Manutius Liuium nunc & in eum castigationes Sigonianas magna cura excudit. Oden Poêtriæ Sapphus, ab eodem Aldo prox. excusam, si nondum alicunde nactus es, scribas. Curabo ut ad uos quamprimum perferatur. De Senensibus & rebus Venetis ex hoc Doctore Valentino intelliges, uiro honesto & erudito. Alex. quidam Farnesius Card. mirabili celeritate usus maximam uim omnis generis comeatus in urbem importari fecit, unde in spem ueniunt Senenses obsidionem tolerari posse diutius. Veneti Genuenses comeatu iuuerunt, qua re effectum est, ut Turcici præfecti omnem importandi frumenti aditum Venetis præcluserint. Carius igitur uendi cœperunt omnia etiam Patauij. Sed hæc ex Valentino melius. Coniugem tuam lectißimam feminam & liberos honestißimos saluta plurimum, meq;, ut soles, ama. Bene uale. Patauij IIII. Non. Ianuarij. M. D. L V.

Petrus Lotichius
Secundus.

CLARISSIMO VIRO, ERV-
ditione & virtute præstanti Ioachimo
Camerario Pab. patrono
suo obseruando.

S. D. P.

SI *per ualetudinem mihi licuisset, qua longo iam tempore incommoda atq; etiam plane infirma usus sum,* Clariß. *uir, non commisissem ut officium in scribendo meum atq; obseruantiam erga te desiderares, qua ego ita te colo atq; ueneror, ut non ad proximos tantum accedam, sed etiam qui me in eo superet, habeam omnino neminem.* Etsi *autem nondum eram plane mihi restitutus cum hæc scriberem, tamen cum subuererer ne aliquam tibi uoluntatis commutationem adferret diuturnum silentium meum, reddendam tibi putaui rationem intermissionis literarum, & ut dixi, officij mei. Cum enim tu primus apud* Stibarum *in gratia me posueris, ad bonas artes quasi manu traduxeris, florentem semper uidere uolueris, nisi ego ad te amandum atq; obseruandum quasi alterum* Stibarum, *sensus meos omnes contulero, impius sim atq; indignus tot studijs beneficijsq; tuis, necesse est.* Sed *de his alias.* Stibari *nostri quid agant, quos in bonis litteris magistros habeant, plane ignoro.* Ego Limacum *ritu, meo mihi in posterum succo uictitandum esse uideo, itaque* Heidelbergam *cogito, si litteræ* D. Philippi, *quibus me principi* Electori *commendauit, id quod iam diu parturiunt, feliciter aliquando pepererint.* Sed occupatus

cupatus hactenus fuit Princeps, & domo etiam abfuit. Agit cauſſam meam generoſus D. Comes ab Hana, qui neptem Elect. ante biennium matrimonio ſibi coniunxit. Sed non ignoro quantum tuis litteris ad Eraſmum Minguicium ſcriptis commodare mihi poßis, idq; ut facias, quod ſine moleſtia tua fiat, etiam atq; etiam á te peto. Ex innumerabilibus tuis in me beneficijs hoc mihi erit longe gratißimum. Vale. Solitarijs, ipſo die natali Domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

P. Lotichius Secundus.

P. LOTICHIVS SECVNDVS,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor,
Hermanno Scoppero.
S. D.

TEmpus erat, rutilo cum ſurgunt ſidera cœlo,
Ortaq; roriferæ tempora noctis eunt:
Cum mihi culta tuæ ſunt reddita carmina Muſæ
O puer, ætatis ſpesq; decusq; tuæ.
Quæ tibi naſcenti tam candida præbuit æther
Sidera, quo cœli fulſit in axe Venus?
Qualiter irriguis ſurgens Amarantus in hortis
Inter purpureas ſpirat odore roſas:
Tale tuum carmen ſic flore decentior omni
Ille nitor Muſæ dulce canentis erat.
Odi ego difficiles ſalebras, inamabile carmen:
Aonio tinctum nectare carmen amo.

Turbidus ingrato decurrit murmure torrens,
Gratior est paruæ riuus amœnus aquæ.
Ille trahit puro latices è fonte perennes,
Blanda quibus pulchræ Naïades ora rigant.
Talis in Aonidum patria siluisq; beatis
Perfluit æternus sancta uireta liquor.
Illic largifluas uatum chorus omnis ad undas
Inter odoratum ludit amatq; nemus.
At myrti uacua solus gemit unus in umbra,
Quem circum lacrimis omnia plena madent.
Hunc quondam facilem pharetrato semper Amori,
Ipsa Venus campos duxit in Elysios.
Hoc duce carpe uiam. Sed enim tu mente pudica,
Caste puer, castis carmina finge modis.
Ipse quidem, nec uera nego, Sulmonis aquosi
Ad Musas propius monstrat alumnus iter.
Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,
Quantum uoce alias Daulias ales aues.
Macte animo, & teneræ florem ne perde iuuentæ:
Tempora si uenerint iusta, disertus eris.
Inter & egregios olim celebrabere uates,
Ornabitq; tuas Laurus odora comas.
Quod superest, meritas pro misso carmine grates
Forte relaturus quando licebit, ago.
Interea mihi plura tui monumenta laboris
Mitte, uices gratas experiere. Vale.

Heidelbergæ An. M. D. LVIII.
die XXIII. Maij.

Clarißi-

10175786

CLARISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario
amico suo

GEORGIVS BRANDENBVR-
gensis Ioachimo Camerario.
S.

ABs te care mihi missum Ioachime salutem
Pertulit imparibus littera scripta modis.
Agnoui gemmamq; tuam, dextramq; fidelem,
Officiosa quibus charta notata fuit.
Orba tibi numeris quod nuper epistola uenit
Legibus & quæreris nostra soluta suis.
Nec mihi difficilis scribendi carminis usus
Cum sit, & ingenij uena benigna mei,
Carmina miraris quod non tibi missa fuerunt,
Nec data sunt certo condita uerba pede.
Hoc ego te merito dignatus honore fuissem,
Si modo quis nostri carminis esset honos.
Obstitit officio, multis tibi cognitus annis
Ille uerecundo noster in ore pudor.
Inter enim sacros uates Helicona colentes
Inclita sit primo cum tua fama loco.
Et tibi Pierides dictent sua carmina Musæ
Carmina nostra tibi quid Ioachime darem?
Hoc erat irriguis torrentes fontibus undas
Addere, in arboreum lignaq; ferre nemus.
Hæc mihi caussa fuit, cur legibus illa solutis:
Quam tibi transmisi, littera facta fuit.

10175788

Si uero, uſq; adeo tu carmina noſtra requiris,
Et mea te tantum ruſtica muſa iuuat.
Non equidem poſſum tibi iure negare petenti
Illa, tibi omnino moſq; gerendus erit.
Quapropter quoties & quandocunq; licebit
Accipies certis uerba notata modis.
Dilatumq; diu tanto mihi tempore munus,
Cum duplici reddet fœnore noſter ager.
Carmine te referam, tibi noſtra poëmata mittam,
Tu mihi non rari cauſſa laboris eris.
Nam me Pegaſidas duxiſti primus ad undas,
Huius & es ſtudij maxima cauſſa mei.
Pro quibus officijs noſtras tibi iure Camœnas
Ingenij tanquam munera uera damus.
Sed tibi ne cura rerum propiore uacanti
Hæc faciat longas pagina forte moras,
Extremo tandem claudatur epiſtola uerbo,
Adſcribatq; tibi dextera noſtra uale.

CLARISSIMO VIRO ET omnium bonarum litterarum peritiſsimo Ioachimo Camerario amico ſuo veteri,

S. D.

O Hominem officioſum Melanchthonem, qui dum noſtram ſchedulam ad te transmittit, fortaſſe imprudens etiam in me cõtulit officium, effecitq; ut fruar tuis optatiſsimis litteris: quod ſcio nõ contigiſ-

10175788

contigisset mihi hoc præsertim tempore, nisi occasione ab illo præbita. Atqui oportebat me nunc max. certiorem reddi quid uobiscum agatur, nisi me putes adeo ab omni humanitate alienum, ut de tantis uiris, tam iniquis imo miseris temporibus, nulla tangar sollicitudine, mihi priuatim amicis etiam. Absit enim ut profani uulgi more mutemus animos, utcunq; aspirauerit fortuna uel reflauerit. Optime igitur factum quod me leuaris hac sollicitudine, duntaxat ex parte: alioqui uideor intelligere qua uos urat calceus: sed non est res mei opificij: & quorum erat, atq; etiam intererat, afferre medicinam, nihil sciunt nisi siccare fœcundos calices: & ideo Deus meribibulos istos per aquæ potores castigare uoluit. Mi Ioachime agis mihi gratias pro constantia, quasi ab ea discedere possem sine scelere, aut tui non meminisse mihi liceat, teq; non prædicare, uel mea caussa, quamuis tua magis, mereris enim: tamen mea quoq;, ne in coronis tibi plaudentium solus uidear tam ἄμουσος, ut egregias tuas dotes non animaduertam saltem, si non perspiciam & fortassis ambitiosius iam id faciendum erit, posteaquam protrusus sum à quibusdam amicis in hoc eruditissimi sæculi theatrum: in quo nisi fauore procerum fulciar, inter quos tibi & Melanchthoni summum gradum tribuo, subsistere nequeo quin explodar meritissime: quoniam nihil uetabat dormire potius quam talibus lucubrationibus in me prouocare nasutulos, præsertim qui ipsi dormire malunt quam rideri, & sapiunt. Iosephus & Halicarnassensis Dionysius sunt, & Euagrius Epi-

phamen.

10175788

phanienſis, omnes hiſtorici, latinitate donati hoc biennio. Dixeris, quid tibi in mentem uenit hoc operæ perdere? ſeruiendum erat Typographis, quemadmodum Hercules Omphalæ ſeruijt, niſi quod ille mercedem ferebat plagas aliquot in caput inflictas ſandalio, mihi aliquanto feliciori numerantur aliquot aureoli. Vtcunq; eſt, iacta eſto alea, mihi deſaltanda eſt hæc fabula, quando ſemel frontem perfricui. De fide uerſionis bona ſpes eſt ſatisfacturum me amicis Criticis: quantum ad lenocinia orationis attinet, non arduum eſt priores interpretes eorundem autorum uincere, cum quibus ſolis mihi certamen eſt: cuperem tamen faſtidioſorum lectorum cauſſa pluſculum condimentorum ineſſe ex Ioachimorum Germanorum Gallorumq; myrothecijs. Sed nihil uotis proficimus, & in tempore nos garrientes charta deficit. Bene uale cum caris omnibus. XI. Ian. Baſileæ.

Amantißimus tui
S. Gelenius.

CLARISSIMO VIRO IOAchimo Camerario amico ſuo ſummo.

S. P. D.

FAcis pro noſtra inueterata beneuolentia Ioachime doctißime, quod me per litteras ſalutare non deſinis, adeo ut ſentiam non in oculis tantum amorem

amorem habitare, tu uero etiam in oculis es mihi, imo omnibus quam late coluntur Græcæ Latinæq; Pierides. Nuper uenerandus Dominus Melanchthon tuum fœtum, carmen Christi natalitium mihi miserat, modo misit hymnum τῆς τοῦ σωτῆρος προσευχῆς τῆς ἐξοδικῆς. nihil poterat mitti gratius. non laudabo in faciem, malo apud alios. hoc tamen permittes mihi fateri uel apud te, dignißimũ uideri qui ad uerbum ediscatur. Illi gratias egi quod mittat quæ palato meo nouit conuenire maxime: tibi gratulor quod sancte utaris donis altißimi, & ex Helicone musas in Sionem montem diuino illi uati dilectum reducas, non minore piæ iuuentutis uoluptate quam commodo. Βάλλ' οὕτως mi Ioachime, uix aliter fias apud bonos omnes gratiosior. Opus est nobis hoc seculo exquisitis solatijs. Quod de gnomis scribis expectamus cupide, siue quid parati habes, siue paras etiam. Nazianzenus ad Heruagianam prouinciam pertinet, ad Frobenianam Chrysostomus. Prodijt enim ex huius officina ante triennium. amabo serua eosdem limites, etiam quantum ad gnomologias. Gratitudinem haudquaquam desideraturus es. Copiosius scriberem, sed nunc sub omni lapide κωφυναῖός τις latitat. Tibi & tuis omnibus fausta omnia precor toto pectore. Basileæ solstitio, Anno salutis M. D. L.

T. Gelenius.

CLARISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario.

S. D.

ETsi nihil ad te scribere possim, quod aliunde non intelligas copiosius, tamen cum apud me haberem nuntium Philippi Melanchthonis, nolui cum sine meis litteris ad te uenire, in quibus aliquam sane recognoscas beneuolētis animi significationem. Scito igitur recordationem ueteris amicitiæ nostræ esse in animo meo cum perpetuam, tum etiam ualde gratam, nec aliud me in hac uita optare ardentius, quam ad intermissam familiaritatem tuam & Præceptoris ut redire liceat. Non desperarem me hanc felicitatem consequi posse, si uel tempora essent tranquilliora, uel non metuendæ tam multæ ac magnæ turbationes uiderentur. Vbicunq; autem ero, integram conseruabo tui memoriam, & nullum officium prætermittam, quod tibi esse gratum putem. Ac si occasionem ipse dederis declarandæ meæ erga te uoluntatis, senties neq; fidem neq; diligentiam mihi defuisse. Ero in hac urbe, si licebit esse sine periculo, donec uideam qualis facies Reip. sequatur, post decreta Comitiorum. Interea si quid erit, quod tua interesse scire putem, non præteribo scribendi opportunitatem. Idem ut tu quoq; facias, oro. Bene uale. Argentinæ III. die Iulij. M. D. L.

Tuus ex animo
Franciscus Dryander.

CLA-

CLARISS. VIRO IOACHIMO Camerario, bonarum artium professori Lipsiæ.

S. D.

Doleo non peruenisse ad te historiam Eusebij, quam per manus Domini Buceri misi, cum arderet Sueuia funesto atq; infausto bello. Sed hoc erratum pensabo Deo uolente, cum primum habere potero maiorem opportunitatem, quod breui futurum spero. Interim summa cum uoluptate legi litteras tuas, ex quibus intelligo non solum eandem esse isthic doctrinæ uocem, quæ antea fuit, sed te quoq; priuatim memoriam nostri magna cum beneuolentia retinere. Certe in hoc exilio nostro, in quo, ut ille ait: Erramus acti uentis maria omnia circum, post diuinam promissionem, cui acquiesco, & integritatem rectæ conscientiæ, quam, Deo sit gratia, mecum circumfero, una sola mihi est consolatio relicta, communicatio & beneuolentia doctissimorum hominum, quos experior ueros & constantes amicos, quorum inter præcipuos, te Ioach. doctiss. numero: Proq; hac tua integritate & constantia in amicitia conseruanda gratiam habeo maximam, teq; oro, ut nulla uel temporis uel calamitatis iniuria patiaris memoriam nostram apud te interire. Si uiuam, conabor ueris officijs meum erga te animum declarare, cuius beneuolentiam pluris facio, quam uniuersum nostrorum hominum odium, de quibus nondum audeo constituere, utrum ignoratione peccent,

10173788

cent, an malicia. Cum Gelenio est mihi usus amici-
Gelenius tiæ non uulgaris, nec minus interdum suauis com-
municatio. Agnosco esse hominem integrum, re-
ctum atq; eruditum, tui etiam perstudiosum, cuius
ad te litteras mitto. Oporinum quoq; hominem do-
ctum, Heruagium, Frobenium, & reliquos comple-
ctor peramice. Eos tuis uerbis salutaui, quorum
Oporinus rescribit, fortassis etiam Heruagius. Ego
hic uersor in summo discrimine propter insidias
meæ gentis, quas scio esse mihi positas in circumui-
cinis locis. Sed ego in Dei benignitate secure re-
cumbo, quo protegente securus ero ab inimicorum
laqueis. Ne tamen uidear contemnere uocem Dei
multis modis admonentis, mutabo locum breui, &
cædam impiorum furori, donec uel suo gladio iugu-
lentur, uel spiritu oris Domini confundantur. Vbi-
cunq; ero memoria tui erit integra & firma in ani-
mo meo, & quoties erit oportunum ad te scribam,
teq; de rebus omnibus certiorem faciam. Idem ut tu
facias magnopere abs te contendo. Litteras uel tuas
uel præceptoris, si quas ad me accipies, mittes per
fideles manus Antuerpiam ad Georgium Germa-
num, á quo mihi fideliter mittentur. Bene uale cum
tota Ecclesia Christi. Basileæ XV. Ianuarij. Anno
Domini M. D. XLVIII.

Tuus totus

Franciscus Dryander.

CLARISSIMO VIRO IOachimo Camerario.

S. D.

ANtequam ad ſummam deſperationem perductus uideretur ſtatus Reip. ſcripſi ad te litteras per manus Buceri, & Euſebium in Gallia expreſſum tibi tranſmitti curaui. Neſcio an ad manus tuas litteræ meæ cum libro perucnerint. Iam uero, cum ab Oporino acceperim te Lipſiam eſſe reuocatum, & noſter Samuel ad uos proficiſceretur, facere non potui, quin ad te litteras darem, ut intelligeres eſſe adhuc in animo meo, non ſolum iucundam, ſed etiam ſacroſanctam recordationem ueteris noſtræ coniunctionis, quam equidem mirifice deſidero, neq; affectibus meis erit ſatisfactum, donec rurſus frui poſſint tuo & præceptoris cariſs. conſpectu & communicatione. Proinde te oro, ut de ſtatu Academiæ ueſtræ & noſtræ ad me ſcribas, ſerione inſtauratum has iri, & an duraturam putes præſentem rerum conditionem. Nam ſi plane firmas ſedes iſthic figere conſtituit Præceptor, ad illum uenirem, niſi aliud ipſe mihi faciendum eſſe iudicaret. Cum primum igitur litteras abs te & ab illo accepero, aliquid certi de me conſtituam. Interim uiuo hic in magno dolore, in aëre quidem ſalubri, & pulcra urbe, ſed ijs, quorum potiſſimum conſuetudinem atq; uſum requiro, deſtitutus. Reliqua, quæ de ſtatu iſtius regionis ad te ſcribere poſſem, narrabit Samuel noſter, qui dies aliquot nobiſcum uixit, &

10175786

meo apud te nomine tanquam uiua epistola esse po-
terit. Bene *uale cum tota tua familia & reliquis a-*
micis. Salutabis meis uerbis Dn. Doctorem Zigle-
rum & D. Alesium. Basileæ VIII. die Nouembr.
M. D. XLVII.

T. F. Dryander.

CLARISSIMO VIRO IOA-
chimo Camerario, professori Tu-
bingensi amico suo
summo.

S. D.

VTinam mi Ioachime, sors mea tulisset, ut mihi liceret una cum D. Philippo *&* Milichio *u-triq; nostrum coniunctissimis, te inuisere.* Nihil *profecto ea re mihi hoc tempore optabilius accidere potuisset. Cuperem enim post interuallum longiss. ut mihi quidem uidetur, temporis, ex quo à nobis abfuisti, aliquando iterum tuo colloquio ac consue-tudine frui, illisq; sermonibus, quos hi uiri doctiss. mihiq; amantiss. tecum habituri sunt, interesse. Ve-rum cum meo quodam fato hic alligatus iam sim, ut coram tibi meam beneuolentiam ac studium testifi-cari non possim, rogaui* D. Philippum, *ut mea offi-cia tibi deferret ac polliceretur.* Hoc *enim tibi per-suasum uelim, si qua occasione tibi commodare quea-m, nihil me prætermissurum esse.* Et *quia* D. Phi-*lippus quædam ab Illustriss.* Principe *meo ad te ha-*

bet

10175786

bet mandata, rogatum te uelim, ut ea ipſa in re optimi Principis uoluntati non deſis. Nos uiciſsim, Deo uolente, hoc præſtabimus, ut intelligas nos tui eſſe amantiſs. & ſtudioſiſsimos. Bene uale. Torgæ in octaua diui Bartholomæi. M. D. XXXVI.

Franciſcus Vinarienſis
Vicecancellarius.

CLARISSIMO VIRO IOAchimo Camerario bonarum literarum præſidi, amico ſuo unice obſeruando.

S.

REdiiſſe te Lipſiam, Vir Clariſs. ac perterritas iſto armorum & luctuoſiſsimi belli ſtrepitu Muſas á te recreari, ſane quam lubens intelligo. Faxit Deus ut defunctis ſemel omnibus bellorum periculis liberatiſq; omni armorum metu pace fæſta frui liceat. Debitor tuus iam Lubecæ eſt, quamprimum huc ſe retulerit, non deſinam eũ appellare. Quam ſancte enim mihi promiſerit diſſoluturum, in memoria habeo. Eſt igitur cauſſa cur ei moleſtus eſſe pergas, neq; mihi moleſtum eſſe poteſt quicquam, quod in gratiam tuam ſit faciendum. Optime uale. Braunſuiga. Die XII. Nouemb. Anno omnium poſt homines natos calamitoſiſsimo.

Deuinctiſs. tibi
Antonius Niger.

ORNATISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario, Lipsiæ bonas litteras profitenti amico perueteri semper obseruando.

S.

Litteræ tuæ ut etiam thermæ quas una cum litteris ad me misisti, mihi redditæ sunt. In quibus quod per occasionem meministi ueteris consuetudinis nostræ, & significasti præterea de statu rerum tuarum, quod Lipsiam te contuleris, pergratum mihi officium feciſti. Ego ut per multos annos in hoc mundi angulo iam uersor, ad quem fere non commeant, aliqua frequentia, nisi qui ad mare habitant, ita scire expedito non possum, quid uel à te uel ab alijs in Germania agatur, cum quibus litterarum studia sum olim sectatus. Tamen interim uolupe est mihi persæpe intelligere, quod & tibi & omnibus illis sit bene, cum quibus mihi olim & in litteris & in toto uitæ instituto rectissime conuenit. Propterea etiam tuo ad Lipsenses aduentui suos precor successus dari. De rebus meis habes Magistrum Rembertum, quem poteris interrogare. Ego & rogatus à te & candore hominis commotus adnixus sum quantum potui, ut ex tua uoluntate me compararem, hoc est, ut Magistrum Rembertum Regiæ Maiestati diligenter commendarem. Spero quod in me nec studium nec officium sit desideraturus. Vale, & me tuum esse certo tibi persuade. Ex

Otonia

10175786

Otonia uigeſima quinta die Octobr. Anno M. D. XLII.

Tuus Petrus Suauenius.

VVOLFGANGVS SCHOP-
per Ioachimo Camerario uiro opt. atque doctiſs.

Recte ſcriptum eſſe à Suetonio quod Auguſtus natus ſit nono Cal. Octobris, paulo ante ortum Solis, credo: uerum de loco Solis nihil certi inde colligi puto, multo minus de horoſcopo. Cum enim confuſionis arguantur eius ætatis anni, propter ſacerdotum non modo inſcitiam, ſed & malitiam intercalatione aut neglecta aut perperam adhibita, non poſſumus & Calendarum appellatione de loco Solis probabiliter aliquid conijcere. Decimoſeptimo demum anno poſt Auguſtum natum Iulio Cæſare tertium & M. Aemylio Lepido Coss. huius confuſionis tollendæ gratia LXVIII. dies inter Nouembrem & Decembrem interiectos eſſe (quamuis antea quoq; in Februario XXIII. pro more intercalati eſſent) ut XV. menſium ultimus ille confuſionis annus efficeretur, moxq; à Calendis Ianuarijs Iuliani Anni ad Solis curſum CCCLXV. dierum ſpacio cum quadrante dimenſi inchoarentur, teſtantur, Cenſorinus Suetonius, Solimus & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 14. Vbi tempus illud incertum uocat & inconſtans atq; uagum. Vnde fit ut cum Suetonius ſcribit obiiſſe Auguſtum XIIII. Calend.

Septembr. LXXVI. ætatis anno diebus XXXV. minus necessario de annis ciuilibus, quales in Romana Rep. in uario usu fuerunt intelligi debeat, non de annis naturalibus: quales à Iulio instituti, quamuis postea sacerdotum negligentia iterum nonnihil corrupti fuerunt, donec Augusti opera rursus in integrum restituerentur, quales huc usq; perdurarunt (ut creditur) adeo ut ab eo demum tempore singulis Calendarij diebus suos superiorum corporum motus assignare possimus: non autem annis præteritis tanta confusione turbatis, ut neq; mensium feriæ æstati, neq; uindemiarum autumno competerent secundum Suetonium. Quare de loco Solis tempore natiuitatis Augusti pronuntiare non possumus. Nisi de illo coniecturam capere placeat quod Manillus ait, Capricornum tũc fulsisse in ortu cum Augustus nasceretur. Quodq; Maro uidetur significare in medio celo signum Libræ fuisse, his uersibus:

Tibi Brachia contrahit ingens
Scorpius, & celi iusta plus parte relinquit.

Sed de his coram, si res tempusq; & tua uoluntas tulerit, plura.

Εἰς τὸν ἀπισημότατον καὶ σοφώτατον Ἰωαχῖμον Καμεραριάδη Πέτρου Κορτωναίου τοῦ οὐτινέως ἐπίγραμμα.

Γλώσσης ἑλλαδικῆς αὐδαίνετο πρὶν ἀοιδὴ
Νῦν δ' αὐέτ' ἄλε πάλιν κλωνας ἀθαλέας,
πιὼδε

10175788

πῶδε σοφὸς Καμεραριάδης διψῶσαν ἔγδε
Πυηναῖς αὖ θαλέθϕν αἴτιος ὧν ϛαγόσιν,
ὥϛε δέον πάϛας τὸν Φωνῆς ἑλλάδος αἰνεῖν
Ῥῦτορα, καὶ μυϛέων ἡέα πιερίδων,
ὑμεῖς δ' οἱ πολέρην θρηνεῖτε θαιῆσαν ἔπωρην,
Χαίρετε, καὶ μνήμην σώζετ' ὀϕλομένην.

IOACHIMVS CAMERARIVS LECTORI.

NActus forte carmen dignitate & virtute præstantis viri & elegantißimi Poêtæ Iohannis Stigelij, quod non arbitrarer adhuc esse editum, visum est hoc illud loco inserere. Nam nomen Stigelij summi viri etiam isto scripto celebratum iri putauimus, Qui sic & integritate pietateq; sua de patria, & copia doctrinæ eruditæ deq; opt. artium studijs est meritus, vt memoriam ipsius omnes boni bonarumq; literarum amantes, maximo honore prosequi perpetuo debeant, quibus & hanc operam meam conseruati & diuulgati huius carminis Stigeliani, gratam acceptamq; futuram esse certo scio.

10175788

AD ILLVSTRISSIMVM ET generoſiſsimum Comitem D. Guntherum in Schuuartzburgk

CARMEN IOANNE *Stigelio autore.*

IAm tua Martigenis Germania clara colonis
Viſa erat obſcuro uirtus langueſcere fato,
Quando tot Heroum ducendis inclyta bellis
Pectora, communi gemerentur ademta dolore,
Quis memoret fuſo fœdatas ſanguine ualles?
Enſibus & frameis ſtagnantia flumina? & ipſam
In cineres crebra terebratam glandine terram?
Quod decus Heroum tormentum abſorbet, ut olim
Proh dolor, arboreas Boreæ uis horrida frondes
Te tamen in tantis patriæ fortiſsime damnis
Exciuit Gunthere Deus, qui pluribus unus
Fortior antiquæ reparares nomina laudis.
Ergo annis animum maiorem & corpore pectus
Fortius, & flammas animum uirtutis in ipſum
Cum tibi prolixe numen cœleſte dediſſet,
Erumpis qua monſtrat iter pulcerrima uirtus,
Quæ tibi præluceus claræ ueſtigia gentis,
Sponte aperit generiſq; tui te conſcia claris
Inuitat meritis & famam ad ſidera ſpondet.
Iam ſua clauſtra dolens ingenti ruperat ira,
Non benè Liligeri contentus limine regni
Gallus atrox, celeriq; minax Mauorte ruebat,

Qua

Qua uia ui fieri poterat, ſibi Belga timere
Impatiens belli, nec tantum fidere Gazæ
Ingenti, quantum externas arceſſere uires,
Quo mihi diuitiæ latæq; potentia terræ?
Omnia ſi uaſtat peregrino milite Gallus,
Si nequeo tanti pugnax par eſſe labori.
Exoriare aliquis Germano è ſanguine uindex,
Qui releues Aquilas, dudum uirtute potentes,
Nondum armis pariter ſæuos quæ ſæpe leones
Et Gryphos triuêre truces. uox iſta ſonabat
In caſtris iam Belga tuis, cum fluminis inſtar
Extemplò Gũtherus adeſt, Schuuartzburgius heros
Et lectas equitum turmas, & ſigna probatæ
Militiæ, peditum Germano Marte cohortes
Adducit, ſiſtitq; uirum quem uota uocarant.
Hic uideas ſæuum Hercinium, fortemq; Thyringum,
Cymbriaco qui uectus equo caput arduus infert,
Cui nigro tegitur totum ferru mine corpus,
Armat utrunq; latus monſtrum ferale, canalis
Qui iacit ignitos globulos tum mortifer enſis
Et pugio, quorum ille notis, hic uulnerat ictu,
Dextra gerit pilum prolixi cuſpide ferri
Procuſum, patrio quo more per inuia luſtra
Sæpe metu magnos animoſus deijcit urſos.
Quid memorem laceri ſitientem militis iram,
Qui ſimilis monſtro horribili, inſuperabile pectus
Vulneribus, docuit fato certare minaci.
Hoc animo Boreæ cretus ſub ſidere Brumæ
Irruit, aut framea aut glandes penetrabilis ictu
Vel ſuperare armis, uel pulchra occumbere morte,

Certus ut audaci ſpirans in ſæcula facto.
Felix, ſi ſtudij caſtris lex priſca maneret,
Si non ebrietas, & tu ſcelerata libido
Per mala delicijs eneruaretis euntem.
Tu tamen hoc animo, facis hoc uirtute renaſcens
Heroum Gunthere decus, Dux optime bellis
Vt tibi lecta manus legesq́; aſſueta uereri
Pareat, & bellis iampridem exercita pubes.
Laude pari ſtudeat maiorum æquare labores.
Ergo animo inuictus ſumtis Dux præuius armis
Irruis, audaci miſcenda in prælia ferro,
Conſilioq́; cauens dextraq́; urgente laborans,
Sequanicos ſternis non ſicca cæde Gigantes.
Erigis auratis ſplendentia lilia Gallis
Victrices Aquilas, ut pulchro flore corones,
Imperiumq́; ornes, quod ueſper adorat & ortus.
Vnica ſic pugnans Graij ſpes Martis Achilles
Ibat ouans pulchris felix graſſator in armis,
Et magnum è Phrygijs depoſcens Hectora turmis
Corpora ſternebat, manesq́; metebat inultos.

Macte animo illuſtris ſanguis tibi Theutona pri-
Gloria gratatur, populi tibi ſurgit ouantis (dem
Plenus honos, plauditq́; pijs tibi patria uotis.
Vera tibi pridem meditatur præmia laudis
Poſteritas, fundunt doctæ tibi carmina Muſæ.
Tranſpirantq́; tuum uenturos nomen in annos.

Ioachimo

IOACHIMO CAMERARIO
viro optimo atque doctiſs.
Præceptori S.
S. D.

OStendit mihi filius Friderichus, *quem abs te diligi, ualde gaudeo, curare te hoc tempore conquiri ſcripta quædam latentia inter chartas tuas, ſuperioris ætatis doctorum hominum, familiaria illa quidem epiſtolarum. Miſſaq; eſſe nonnulla tibi Mutianica atq; Eobanica, & iuſſiſſe te meum filium cognoſcere, numqua apud me Eobanica etiam eſſent, quemadmodum ſuſpicareris, propter meam Erphordiæ, cum ille eo redijſſet, commorationem. Itaq; ſtatim perluſtrata mea bibliotheca, quicquid inueni huius generis, id ad filium meum miſi, ut tibi traderet. Quamuis præuiderem eſſe eiuſmodi plæraq; omnia, ut non ſolum editione indigna, ſed multas ob cauſſas premenda eſſe uideantur, neq; celebratura autorem, & nullam prorſus uel utilitatem uel uoluptatem allatura legentibus. Vnum inter hæc eſt ænigma. Id puto te exemturũ & in libellum tuum relaturum eſſe. Sed facies omnino quod uoles, & me diligere perges. Vale.*

Vilhelmus Megala T.

ÆNIGMA EOBANICVM EX
ſermonibus conuiualibus.

ESt quædam de fructiferis nota omnibus arbor,
Si nomen quæras octo elementa notant.

CASTANEA

Vltima

10175788

Vltima ſic poſito tria ſi de nomine demas,
Inter mille alias, uix erit una tibi.

Vel hoc modo.

ESt quædam ſcribenda notis bis quatuor arbor,
Sympoſijs aptas ferre ſuẽta nuces.
Vnde notas ſi tres poſtremas demſeris, inter
Mille alias unam uix reperiſſe queas.

CLARISSIMO VIRO DOctrina & virtute præſtanti Iohanni Cratoni Medicinæ Doctori, amico ſuo colendo.
S.

PHilippus Melanthon ſocer meus, miſit mihi nuper epiſtolam tuam, de me amanter & honorifice ſcriptam, qua mirum in modum delectatus ſum. Magnopere enim gaudeo, me non ſolum diligi ſed etiam prædicari abs te, uiro excellenti ingenio, doctrina & uirtute prædito, tametſi ipſe quidem ea, quæ de me prædicas, non agnoſco. Itaq; magnam habeo gratiam tibi, de amantiſsima in me uoluntate, qua me ita deuinxiſti, ut niſi te mutuo diligam, omniq; ſtudio ac beneuolentia complectar, prorſus ab humanitate ſim alienus. Ad laudationem uero qua me liberaliter ornas idem reſpondeo tibi quod apud Plautum Tranioni ſeruo Simo ſenex reſpondet: Amice facis qui me laudas. Scio enim me abeſſe longiſ-

ſime

10175788

ſime ab illa laude, quam tu ex amoris abundantia mihi tribuis. Oro autem ut beneuolentiam qua me complexus es, quamq; litteris iſtis tuis declaraſti, perpetuo conſerues. Nam etſi nihil eſt in me quidem, neq; ingenij neq; doctrinæ, quo ſuſceptum à te amorem fouere queam: erit tamen mihi gratiſsimum, ſi retinueris hanc in me beneuolentiam, quam habes, tibiq; perſuaſeris, me ex animo tibi amicum eſſe, neq; conceſſurum, ut tu in me amando, quam ego in te redamando, officioſior eſſe uidearis. Bene & feliciter uale. Datæ Cal. Septembr. Anno M. D. LVIII. *Francofordiæ ad Oderam.*

T. Sabinus.

DOCTISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario amico ſuo ſingulari.
S.

Litteras quas ad D. Matthæum tuis incluſeras, doctiſsime uir, ei quamprimum potui transmiſi. Fuerat enim paulo ante hinc in patriam ſuam profectus. Sturmius non uenit ad nos, quod doleo, & ſæpe mecum cogito quo ipſe & reliqui ſeſe conferre, ſi nequeant, ubi iam ſunt, conſiſtere, decreuerint. Nos hic uarie & angimur & iactamur. Cætera malo te ex alijs cognoſcere, non enim tutum eſt ſcribere, cum etiam multorum gemitus & ſuſpiria piorum hominum in ſuſpicionem grauem incidant.

Deus

10175788

Deus æternus & misericors nos respiciat. Tibi autem & filiæ tuæ precor ex animo omnia felicia. Vtinam ea essent tempora quo & mihi circumspicere tandem de uitæ socia possem. Sed ut nunc sunt graues temporum conuersiones & maximæ mutationes uoluntatum etiam constantissimorum hominum, feliciores sunt, qui hinc Christo auocante eripiuntur, quam qui de aliqua aut uitæ ratione aut meliore rerum mutatione cogitant. Tamen neq; ego dubito Christum fuit adfuturum etiam sub cruce pene succumbentibus. Grauiter me adfecit nuncium de opt. studiosissimiq; & doctiss. iuuenis morte Hieronymi Screiber, qui Parisijs XVII. D. præteriti mensis pie in Christo expirauit, nec quo mortis genere perierit scimus etiamnum. Vtinam & me Dominus ex hac miseria breui liberet. Rogo autem te, uir eruditiss. ut ubi otium tibi erit, ad me uel te recte cum tuis ualere, scribas. Bene & feliciter uale. Datæ Noribergæ Anno M. D. XLVIII.

Medmannus ante mensem ad me scripsit, quem credo aut ad nos uenturum, aut in interiorem Saxoniam sese abditurum uti scribit.

Tuus toto pectore

Cornel. Sithardus.

CLARISSIMO VIRO IOAchimo Camerario amico suo obseruandiss.

S.

TE esse in magno luctu ob fratris obitũ facile credo, sed interim persuasum habeo, te etiam non egere aliqua aliena cõsolatione, cũ ipse tibi sapientia tua & uirtute satis consolationis præbeas. Neq; etiam est cur ob Dominici Stromeri obitũ te consoler: Sine dubio & hic te magno affecit dolore, sed tu eũ eo animo feres, quo æquissimo alia plurima hactenus tulisti. Ego profecto, quod potui ipsi uiuo præstiti, et subieci interdum etiam quasdam admonitiones. ἀλλὰ τὸ μὲν προτετύχθου ἐάσομεν. Res nostræ sunt in statu solito. Academia non multum crescit frequentia, licet sit nõnihil frequentior facta. Victus in contubernio est facilior ex munificentia Principali, unde frumentum uiliori precio subministratur. Nos iam cum doctoribus haud paulo commodius & tranquillius uiuimus. Affinis meus senex ille cellarius, qui hactenus captus fuit, ut confidimus liberabitur proxima hebdomada, sed non sine numeratione pecuniæ satis magnæ, similiter liberabitur etiam præfectus inferior. Ludouicus Bebion Argentinæ obijt, in cuius locum est receptus ex schola nostra M. Chilianus Vogler, affinis D. Scheggij, qui iam nactus honores Doctoris, statim se eo conferet. Hæc putaui ad te scribenda, & mihi occupato renunciatione nouorum Magistrorum post paucos dies futura, nil aliud occurrebat. Salutat tuam familiam quam diligentiss. uxor mea. Vale quam optime cum tuis omnibus. Date festinantiss. Tubingæ IIII. Non. Februarij.

M. Garbicius Illyricus T. T.

Huma-

10175788

HVMANISSIMO
Ioachimo Camerario
amico suo.

S. P. D.

SAtisfactionem tuam accepi, atq; ipse intelligo cauſſas tibi iuſtas eſſe libelli remittendi, ſub conditione tamen, quam tibi præſcripſiſti, ne in uulgus permanet. Indices Codicum & ſingularium librorum Pyrchhagmeri ſi habes, ſiq; impetrare potes, oro communices mihi. De commentarijs meis in Plinium quod candide ſentis, habeo gratiam, quod ais multa per me tractata eſſe breuius tua expectatione, ſatisfeci, puto, publice ac præfationibus in totum opus, non qui contendam contra, ſed quod eo abſoluendo minime incumbere ita potui, tanquam uni lucubrationi quam tota ætate elimarem? Cupiebam equidem ex te accipere aliquot locos quorum tu longiorem explicationem uoluiſſes, horum exemplo animo concepiſſem quæ gratia operi eſſe publice poſſet. Curaui tamen opinor, ne tale committerem his locis quibus aut memet parum intelligere, aut auctorem parum aſſequutus uiderer, cuius tergiuerſationis me puderet, & qua ſuſpitione ut me liberarem ſatis facerem amico per epiſtolam hodieq;, qui locum talem ex me uellet. Alia ſunt quæ & me toto opere offendunt. Charta uilis, tantumq; non emporetica. Nulla pagina non occurrentes mendæ ſæpe graues, ſigna ſchematum ſuis locis detracta: De lactea uia, de barbaris menſibus, deq; Martiano ſuperuacua adiecta

10175788

iecta præter conditionem, qua caueram, ne quid
præterea adijcerent. Quæ indignitas tanto me peius
habet, quod officinæ exhibui exemplare, ea diligen-
tia accuratum per me, ut sua ipsorum confessione
nullo tempore susceperint uiderintq; apparatius,
quod ipsum sordidissimi & ingratissimi mortalium
inter excudendum corruperunt. De Gregorio Ha- Haloander
loandro nostro nimis uera audijsti. Mortuus est Ve-
netijs, leui febricula, sed graui Medico, *Polono nescio*
quo, oppressus. Vale. Argentorati XX. Decemb.
Anno M. D. XXXI.

Iacobus Zieglerus.

CLARISSIMO VIRO
Ioachimo Camerario Pabenb.
præceptori suo summa
fide colendo.
S. P. D.

Cvm Vuircepurgum uenissem, Clariss. uir, præ-
ceptor obseruande, & tabellarium qui ad uos
iret essem nactus, facere non potui, quin breuibus sal-
tem uos compellarem, ut intelligeretis nominis me
uestri memoriam summa cum fide conseruare. De
rebus uestris certior factus sum, á D. Tilmanno, *qui*
á Domino Præceptore *ad constituendas apud nos*
Ecclesias, *missus est,* Sed Deus bone, *non modo nullæ*
ecclesiæ forma constituitur, sed et ea quam de scholæ
reformatione spem iamdiu conceperamus plane nos
fallit. Quod, nisi multi alia sibi præsidia compara-

rent, literæ prorſus eos uiderent eſurientes. Magna illa uis pecuniarum quæ undecunque corraditur, ijs potiſſimum præda eſt, qui cum propter opinionem litterarum principibus cari ſint ac commendati, omnia bonarum artium ſtudia, quicq; ijs ſe dediderunt, nunc non ſolum negligunt, uerum etiam prorſus impediunt atq; contemnunt. Princeps noſter in Thermis adhuc ualetudinem curat, quo inſcio omnia perturbantur. D. Micyllo qui Græcarum litterarum profeſſor fuit, nemo adhuc ſucceſſit. Nominati fuerunt qui uocarentur D. Horſtanus I. V. Doctor, item S. Caſtalio qui Baſileæ nunc degit, & alius quidam Gallus, qui Argentorati Medicinam exercet. Hi tamen omnes propterea quod docti ſint & eruditionis nomine celebres hactenus impetrare nihil potuerunt. Cætera, quæ apud nos gerantur, non dubito fama ipſa iamdiu apud uos eſſe peruulgata ac trita. Hæc ſcripſi apud Ampliſſ. tuicq; & familiæ tuæ ſtudioſiſſimum uirum D. Eraſmum Neuſteter, patronum ac hoſpitem meum, tu ut pro ſingulari humanitate tua, litteris feſtinanter exaratis ignoſcas, etiam atq; etiam á te peto. Deus opt. max. te cum honeſtiſſima coniuge ac uniuerſa familia quam diutiſſime conſeruet incolumem. Bene uale. Vuircepurgi XXI. Iunij. M. D. LVIII.

Ex. Neuſteter

Studioſiſſ. tui

P. Lotichius Sec.

Clariſſ.

CLARISS. DOCTISSI-
moq; viro Ioachimo Camera-
rio, amico suo vetustiss.
S.

IAmdiu equidem nihil ad te litterarum dedi. Cuius rei causſa non in me ſolum fuit, ſed in temporum hac perturbatione quoq; nonnulla, cum qua & pri-uatæ quædcm curæ me excęperunt, quæ animum meum diuerſe ac uarie traxerunt. Gratulationem tuam libenter accipio, oroq; Deum, ut cœptum hoc meum ſecundare uelit. Maluiſſem equidem, quod reliquum uitæ reſtat, ſolus atq; inter Muſas meas exigere. Sed liberis conſulendum fuit, quibus æque ac mihi proſpiciendum fuit. Quod de reditu ad Mœnum meo audieras, fuit quidem tale aliquid propoſitum meum, ſed quia res quædam aliter ceciderunt, atq; ĩnſtitutæ fuerant, etiam illud quod propoſueram diuerſus exitus conſecutus eſt. Sed tamen occaſionem expecto. Et quis ſcit, quid impendens iſta procella ferat. Vix enim puto nubem hanc, quæ iampridem cogitur, ſine pluuia ac uento abituram eſſe. Carmen tuum libens legi, eiusdemq; & Philippus poſtea exemplum ad me miſit. Magnam autem conſolationem uel ex eo accipio, quòd uideo hæc ſtudia etiam illis in locis florere, in quæ dudum omnis uis ac furor Martis conuerſus fuit. Itaq; non eſt cur animum abijciamus, aut dubitemus ubicunq; erimus, aut utcunq; fortuna á nobis auerſa atq; alienata uidebitur, nos Domino curæ fore, qui & Eccleſiam ſuam & hæc

10175788

noſtra ſtudia pro ſua benignitate conſeruabit ac propagabit. Bene uale. V I. Id. *Iunij* ἀπὸ τοῦ ϖαν-νοϱίου, *ut tibi uocari placet.*

Micyllus T.

IOACHIMO CAMERARIO,
viro doctiſs. amico ſuo.

S.

ETſi nihil habebam ad præſtantiam tuam ſcri-Eptione dignum, Clariſs. *Camerari, nolui tamen Erneſtum affinem meum uacuum meis litteris, quibus ſaltem pro officio te ſalutarem, ad uos reuerti: præſertim cum is humanitatem & alias uirtutes tuas ſummopere prædicaret. Eum ut porro etiam amare, & tibi commendatum habere pergas, obſecro. Multum equidem pro ea etiam, qua Iacobum patruelem meum proſequutus es humanitate, tibi debeo. Is ab initio patri typographo ſe coniunxerat, à quo paulo poſt diſceſſit, & nunc literis ſe dedit. Andreas typographus hoc tempore cudit Teſtamentum nouum Latine, & Græce è regione, cum annotationibus, eius folium quamuis maculatum mitto. Breui Antonini Imperatoris & Philoſophi* ϖερὶ τῶν καθ' ἑαυτὸν *libellos* X I I. *dabit Andreas, Græce ſimul & Latine: quos tibi iucundiſſimos fore non dubito, expectabis eos ad nundinas uenales. Hiſtoria Aquatilium, & piſcium noſtra magno uolumine his diebus abſoluetur. Vale uir optime doctiſſimeq;, & me cum Erneſto meo ama. Tiguri* V. *die Auguſti.*

Anno

10175786

Anno M. D. LVIII. D. Bullingerus noſter ſuo nomine amanter & officioſe ſaluere te iubet. D. Meurero ut me commendes, cupio.

Tuus ex animo

Conrad. Geſnerus.

DOCTISSIMO IOACHIMO
Camerario Profeſſori Tubingenſi, amico ſingulari.
S. D.

SCripſi Ioachime doctiſsime ad te paucos ante dies ineptos uerſiculos per negotia forenſia, ſed nihil reſponſi accipio. Pollicitus ſum tibi Indicem Bibliothecæ Venetæ, quem ad te miſiſſem, niſi negotia multa me urgerent, mittam tamen bona fide. Polybius, quem à me petebas de re militari Ro. interim in Germania editus eſt, & non dubito te habere. Vrſinus noſter non ita pridem, neſcio quo caſu præceps in Danubium coniectus perijt, pleriq; latronibus, nonnulli alteri caſui hoc tribuunt. Crede mihi grauiſsime doleo, cum quaſi parte mei dimidia iam carendum ſit. Rogo te maximopere uelis commentarios meos, quos in tres libros Ciceronis de LL. iam prope abſolui, carmine Græco ornare, & habeo tibi policeri, quod non aſpernandi futuri ſint, etiam doctis. Vxorem & liberos ſaluto. Proximis ad te uberius de ſingulis perſcribam. Idib. Martijs. Vrſini caſus

10175786

Rogo te maximopere D. Balthasarem D. Fuchsium, & M. Casp. Volland. salutare uelis, omnesq; adeo amicos, Garbicium inprimis.

Ludouicus Brassicanus F. T.
amicus optimus.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQ; viro Ioachimo Cămerario.

S.

IOachime charissime, Mitto ad te quædam in Vrsinum Epitaphia, ex quibus perspicies casum sane lugubrem & deplorandum. Exemplar Hodœporici mei an tibi redditum sit, ignoro. Cura ut sciam. Scripsi bene longam orationem de informatione ac Idea ueri consulti, an eam Morhardus uester excudere uelit, certiorem me reddito. Rogo te etiam maximopere digneris meos Commentarios de L L. ornare aliquot Græcis uersiculis. Sane ægre fero, quod Petreius elegantissimum tuum Epigramma meis commentarijs in Politian: non adiecerit. Iam opus hoc recudetur in Gallia emendatius & auctius. Vbi absq; dubio illud adiungetur. Rogo rescribe aliquando. De indice Veneto hactenus fidem meam non liberaui, propter hunc integra mihi depugnata sunt prælia. Dederam eum fratri, qui reddere nolebat. Sed Episcopus habet exemplar, curabo describi, & iam hoc factum fuisset, si Episcopus Viennæ fuisset. Ego alioqui ita aduocationibus occupatus sum,

10175786

ſum, quod etiam Carolus noſter teſtabitur, ut uix auriculas ſcalpere liceat. Saluta Amantium, Vollandium, D. Balthaſarem, aliosq; ueſtros συμφιλολόγους. Vale. Viennæ ad XIII. Septembr.

Ludouicus Braſicanus
D.

DOCTISSIMO ET CLARISSIMO viro Ioachimo Camerario amico ſuo obſeruandiſs.

S. D.

SVperioribus Menſibus, cum ad Dn. Iohannem Reußium tumultuario ſcriptas litteras Norimberga dediſſem memini me ijſdem rogaſſe illum, te ut non ſolum meis uerbis diligenter ſalutaret, uerum etiam me tibi de tam diuturno ſilentio meo excuſandum curaret, pollicitus etiam me breui quam longiſſimam epiſtolam ad te daturum eſſe. Sed quominus in hunc uſque diem id á me factum ſit, etſi multa alia, tamen nihil magis quam ſummam negligentiam meam in cauſſa fuiſſe ingenue fateor, Iam uero nactus hunc præclari ingenij adoleſcentem Ferdinandũ á Maugis, honeſto admodum loco apud ſuos natũ, mihiq; amiciſſimũ, quiq; & te & Melanchthonẽ cæterosq; tui ordinis homines ueſtra nimirũ eruditione tradẽdisq; diſciplinis abſolutiſs. doctrina excitatus, atq; adeo uirtutis ueſtræ amore et admiratione incredibiliter accenſus, de facie noſcere, ueſtrãq;

10175788

in amicitiam & familiaritatem propter capeſcendum maiorem ingenij cultum, recipi mirabiliter cupit. Ei permulta ſane de animi mei in te beneuolentiſsimi conſtantia, deq; rerum mearum ſtatu, & ijs demum omnibus, quæ ad te alias perſcribere uolebam & merito debebam, affatim communicanda duxi, Idq; propterea ut tibi iſtiusmodi omnia uerbis meis coram referret, & quaſi uice longioris epiſtolæ mihi apud te eſſet. Id quod ſe diligenter facturum eſſe promiſit. Quapropter te mi Ioachime, quo animo meo uix charior quisquam eſſe poteſt, etiam atq; etiam uehementer rogo, ut illi iuueni candidiſsimo & amabiliſsimo non tam propter meam de ſe commendationem, quam tamen multum apud te ualituram ſibi omnino perſuaſit, quam propter eius ſingularem morum probitatem, excellentem naturam cum admirabili profecto ueræ pietatis ſtudio coniunctam, tum ad amicitiam & familiaritatem tuam interiorem aditum patere ſinas, tum uero opera, conſilio, doctrina & authoritate tua eiuſdem honeſtiſsimos conatus adiuuare promouereq; omni loco temporeq; uelis. Id quod mihi erit longe gratiſſimum, adeo ut quidquid in illum uel ſtudij uel humanitatis uel officij contuleris, id perinde habiturus ſim, ac ſi mihi ipſi impendiſſes, & te propterea amabo perpetuo, meq; gratum erga te quauis oblata occaſione, crede mihi, pro tuis immortalibus in me beneficijs exhibere contendam. Bene uale, & me amare pergito. Datæ Pragæ Die XVII. menſis Decembris. Anno á Chriſto nato M. D. XLIII.

Tuus Adamus Carolus.

VIRO DOCTISSIMO atq; humaniſs. Ioachimo Camerario, amico ſuo S.

QVam uereor Ioachime, ne cuius antea humanitatem probaſti, eius de inhumanitate nunc queri iure poßis, qui ſuauiſßimis atq; elegantiſßimis á te litteris acceptis, in hunc uſq; diem nihil dum reſponderim. Sed quum & occupationes eius muneris quo apud Principem noſtrum fungor, & profectio mea Friburgum, quanquam minime diuturna, & alia plæraq;, quæ commemorari neceſſe non eſt, huius rei cauſſam ſuſtineant, ſpero fore, ut æquo animo feras ſilentium meum. Huc accedit, quod non prius reſcribere in animo eſſet, quam diligenter euoluiſſem commentarios tuos in Tuſculanas Ciceronis, id quod proximis diebus factum. Illorum ego lectione incredibiliter delectatus, mihi crede, propterea quod non peruagata neſcio quæ, aut contrita uulgo, ſed abſtruſa fere & recondita, ex autorib. latinis quidem etiam, ſed potiß. Græcis, afferre in medium ſtudeas. Plura non addam, ne in os laudare uidear. Quod tu optas Ioachime de coniunctione noſtra, idem & ipſe mehercule uelim, uitam & una degere concederetur. Verum quo minus id fiat, per me quidom non ſtat. Ergo ut quimus (aiunt) quando ut uolumus non licet. Scripſi filio, eumq; iußi opera tua uti. Qua in re agnoſco humanitatem & ſtudium atq; amorem erga me tuum, qui tam liberaliter &

10175788

benigne ultro officium, operam, laborem tuum pollicearis atq; deferas. Ne uiuam, si quid gratius hoc tempore facere mihi potuisses. Itaq; meæ iam partes erunt curare ut memorem me esse dicas & gratum. Vale in Christo Ioachime carissime, nosq; tui amantissimos esse, tibi persuasum habe. Dresdæ VI. Cal. Iunij. Anno M. D. XLIII.

Iohannes Riuius T.

CLARISSIMO VIRO DE litteris Græcis ac Latinis optime merito, pietate & virtute præstanti Ioachimo Camerario amico suo carissimo.

S. D.

QVid? quid autem? quid tandem scribam? Omnia plena malis sub cœlo. Vel ruina supra caput est, mundi ipsius, uel certe talis imperiorum, rerum, hominum, perturbatio atq; conuersio, qualis non fuit ab initio. Omnia peruertunt peruersi hoc tempore mores. Lætatus sum reditu ad nos tuorum, sed & hanc meam læticiam peruertit narratio ἀνδραγίας nostri, qua exposuit mihi incendio consumtas esse posteriores partes ædium tuarum, quæ sunt Pabebergæ. O nulla calamitas sola. Sed tu seruata iam induratam in animo tuo constantiam illam, solide docto uiro dignam, quæ cum Iobi sententia conspirat, Dominus dedit, Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum, Imo Dominus abstulit, igitur dabit. In conuentu Theologico, qui nunc Oenagoræ habetur,

habetur, paleſtræ ſunt & luctæ. Victorinus pugnat adſertione ueritatis & conſcientiæ, aduerſus Flatianos. Noſtri ſenis optimi meriti caput petitur à Flatianis, quod dum nolumus nos cæteri perſequi, heu in quantos labirynthos illorum, quantos execrationes incurrimus. Verum, in fine, ut dicitur, uidebitur. ἄρχοντες ſunt optimi, ſed utinam non haberent παράρχοντες οἵους οὐκ ἐχθῆν. Deus miſericors gubernet corda ſingulorum & omnium, ut agnoſcant lapſus, & Dei gloriam anteferant gratiæ hominum, & fauori fortunæ. Nihil addo amplius. Optime uale.

Contentiones Victorini, & Illyrici

T. Stigel.

CLARISSIMO VIRO SOlida eruditione & virtute prædito Ioachimo Camerario, amico ſuo colendo & cariſs.

S.

IN proximis tuis delectationi mihi fuit Plauti commodiſsime à te uſurpata ſententia, de ijs qui in lingua geſtant, quidquid hauriunt auribus. Haberem enim & ego cauſſam tam ſeuere animaduertendi in hoc hominum genus, ſi daretur poteſtas, qui calumnijs eorum in tantos fluctus ſuſpicionum, indignationis, ſimultatum coniectus ſum hoc anno, ut enauigare citra periculum naufragij uix potuerim. Culpa hæc fuit una, quod amicitiam colo cum ijs, qui de me ſunt optime meriti, quos ferre

ferre non possunt. Qui, quoniam nulli amici sunt, inimicos ipsi in se omnes habent, ut idem noster Plautus inquit. At ipsi cum se excrucient proprijs sauciæ conscientiæ flagellis: eunt quo libitum est, pœnas inuenturi suas, suo tempore. De illis enim hoc dici uere posse, quod Boëtium memini, de tyrannorum penis significare, ostendunt eorum actiones, & docebit breui euentus. Quid enim ille? Hinc libido uersat Auidis corda uenenis, Hinc flagellat ira mentem, Fluctus turbida tollens, Mœror aut captos fatigat, Aut spes lubrica torquet. Hæc cum illis accidere uideam, qui me conijcere in extrema pericula conati sunt, tanti non facio dolorem meum, ut fiam iugulator Plautinus. Deo commendo cursum uitæ & laborum meorum, & à commercijs suspicacium hominum me ad solitudinem confero, domestica & publica negotia quantum officij ratio postulat, pro uiribus adiuuans. Ac uideo, si diutius stabit hic orbis terrarum, omnem doctrinam & confessionem ueræ doctrinæ de Deo, profligatam publicis tumultibus & cladibus aut interituram esse, aut ad priuatas Ecclesiolas in singulis œconomijs deuenturam. Quare Deum precor, ut recte sentientium mentes conseruet, nec sinat interire reliquias hæreditatis filij sui. Hac animi intentione te quoq; & familiam tuam omnem Deo commendo, cui ut ad felicem posteritatem nuptiæ filiæ tuæ prospere eueniant simul precor à Deo patre liberatoris nostri unici Iesu Christi. Bene uale. Die Ascensionis Christi.

T. Stigel.

Præstan-

PRAESTANTISSIMO ATQVE eruditiſsimo viro Ioachimo Camerario Pabebergenſi, opt. artium in Academia Lipſenſi primario Profeſſori.

S. D.

LIbellum de pijs ac orthodoxis precibus, quem nuper ad me miſiſti, doctißime Ioachime, lubenter ac ſtudioſe perlegam ſucciſiuis illis horis, in quibus è curarum publicarum æſtu nonnunquam ad hunc ſuauißimum portum litterarum mihi datur confugere. Ago autem tibi non ſolum pro hoc officio, uerum etiam quod mei tam ſæpe, tam amanter es memor, ingentes gratias, nihilq; magis cuperem, quam tecum in omnibus ijs, quæ ad alendam ac conſeruandam amicitiam pertinent, paria facere. Philippi noſtri mortem non ſolum tibi, uerum etiam omnibus probis ac doctis uiris moleſtam ac deplorandam accidiſſe æquum eſt. Eius uero ſenſus ſi ad te propius nonnihil pertingit, non equidem demiror. cum & ætas (ut arbitror) & animorum coniunctio, & tot excellentißimarum rerum doctrina uos fecerit quodammodo pares. Lenire tamen commune dolorem uideri poteſt, quod & ille naturæ ſuæ ſatis uixit, & ſic uixit, ſicq; rurſus uita functus eſt, ut in perpetuum in pectoribus omnium bonorum ac eruditorum uirorum uicturus eſſe credatur. Si enim, ut Sophocles tuus ait) ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι

10175786

πένθει τὸν εὐγενῆ χθὲς, quam præclare cum illo actũ putabimus, cui utrunq; hoc obtigit. Beue uale. Viennæ XIIII. Iunij. Anno M. D. LX.

Tibi deditiß.
G. S. *Seldius* D.

PRÆSTANTISSIMO ATQVE eruditiſsimo viro Ioachimo Camerario Pabebergenſi, opt. artium in Academia Lipſenſi primario Profeſſori.

S. D.

FErreus plane eſſem, præſtantiß. Ioachime, & ab omni ſenſu humano penitus alienus, niſi D. Imp. Ferdinandi *benigniſsimi* Patroni *mei, deplorandus obitus, ita me afficeret, quemadmodum merito debet. Quicquid enim in illo* Principe *amiſimus, id non ſolum ad iacturam publicam (quæ pariter nos omnes concernere uidetur) uerum etiam ad dolorem meum priuatum pertinet, cui ille non tam principis, quam propemodum (ſi ita dicere fas eſt) patris loco fuit. Quantumcunq; tamen in hac parte commoueor, interpellatio tua tantum abeſt, ut mihi odioſa, uel moleſta ſit, ut eam potius inſignis cuiuſdam beneficij loco apud me reponam.* Eſt *enim hoc (niſi fallor) potiſsimum conſolationis genus, ubi amici uirtute ac ſapientia præſtantes, inter quos*

tu uel

tu uel præcipuus emines, eandem αὐθαιρεσίαν in luctu communi oſtendunt, quæ eis ineſt, quos luctus ille quacunq; ex cauſſa propius nonnihil attingit. Ernestum tuum, quem, (ut apparet) nimia fere ſollicitudine, quæq; (niſi candor iſte tuus mihi perſpectus eſſet) propemodum diffidentiæ cuiuſdam ſpeciem præ ſe ferret, mihi commendas, omni quantum in me eſt fauore & beneuolentia complectar. Placet enim mihi uehementer, iudicium hominis, qui in edendis libris, ſecus quam reliquorum typographorum turba facere ſolet, eos ſibi potißimum delegit, qui apud omnem poſteritatem uicturi uidentur. Promouebo autem negotium illius tanto maiore opportunitate, quod intra paucos hoſce dies ad aulam Cæſaream præter omnem expectationem meam, imo plane inuitus ac dolens, reuerti cogor: ubi ut ſuſpicor Spectatũ ſatis, et donatum iam rude quærunt.

Immerito antiquo me rurſum includere ludo. Bene uale. Ex arce mea Neuhofenſi in Bauaria, ubi iam plane εἰλέημαι cum Muſis meis in gratiam redire ceperam. V. die Octobr. Anno M. D. LXIIII.

Franciſco Crammæ amico communi (id quod pene oblitus fueram) plurimum quæſo ſalutem ex me dicito. Idemq; per occaſionem Gaſpari Peucero, cui neſcio an litteræ meæ nuper ex Auguſta ſcriptæ, redditæ ſint.

Tibi deditiß.

G. S. Seldius D.

Ioachi-

IOACHIMO CAMERARIO
Pab. amico tanquam fratri S.

S. D.

BInas abs te accepi litteras, mi Ioachime, quarum priores magnam mihi uoluptatem attulerunt, quod intellexerim te mediocri itineris fortuna usum ad Academiam peruenisse. Teq; uocari in spem posse, & conturbatis scholasticis, & alijs afflictis rebus consuli, si modo quies fuerit. Quam utinam Deus opt. max. nobis benigne largiri dignetur, Sed, quæ hodierno die rerum facies apparet, à nouis profecto bellis nobis est timendũ. Verũ Deo æterno hæc permittantur. Quem unice per Iesum Christum oro, ut nos clementer conseruet. De uino, ut petijsti, erit res mihi diligenti curæ, uecturæ autem adhuc opportunitas me moratur. Sed affuturos breui aliquos esse spero, quorum opera recte uti posßimus. Constitui autem a Gabriele ex debito dimidiatum plaustrum ueteris uini, & tantundem noui petere. Etsi nouum ualde austerum est. Nostrumq; studium probatum tibi iri confido. De pictura cladis Lipsicæ, habeo gratiam. faxit Christus, ut omnia in gloriam ipsius cedant. De meis propinquis rogo iuues me consilio tuo. Meminisse potes querelarum mearum de studiorum locis. Sed sunt nobis grauiora etiam ferenda. Explorandum censeo, qui sit Erphurdiensis Academiæ iam status. Illuc enim hos uenire nihil prohibuerit. Si, id quod subindicare uideris, ad brumam in has regiones ueneris, caue negligas ad me accedere.

Hæc

10175786

Hæc ualde festinanti tabellario dedi, scripta sicut uides. D. Philippum meis uerbis salutabis. Vale. VIII. die Decembris. An. Christi M. D. XLVII.

Tuus ex animo

D. Stibarus.

CLARISSIMO VIRO Ioachimo Camerario amico & compatri suo carissimo S. D.

CRedere non potes quam ego hic inuitus detineor, Ioachime cariss. caussas eius rei omnes, nec debeo nec possum explicare hoc tempore. Inter cætera, qui non potest esse mihi molestissimum, quod tamdiu absim à libris & liberis & minus firmæ ualetudinis uxore. Vt taceam, quod hic iam pestilentibus morbis obijcimur, & finem tractationum nostrarum non liceat prospicere. Fit nescio quorũ opera, ut hæ extrahantur longius, quam quisquam crediderit. Et sunt qui affirmant has ante Id. Mart. nõ habituras finem. Quod si fiat, quid me futurum esse uerear, non libet scribere. Qua uero ratione mihi subueniri possit, non uideo, nisi si tu & D. Philippus pro me elaboretis apud eum, quem scitis posse facile efficere, ut his negotijs liberatus reuertar ad Academiam. Cui nauatum rei studium meum hoc tempore existimo uos iudicare. Cum quidem aliqui mihi scribant, hoc etiam ualde requiri. Et uel carere me col-

lega, qui hic aſſunt, facile poterunt, uel reperire certe ſucceſſorem. Ego hic multiplicis metus expers eſſe nequeo. Sed ueſtræ prudentiæ & erga me beneuolentiæ totam rem committo. Vale. Salutem dices à me tuis, & Matthæo noſtro. Iterum uale. Auguſtæ feſtinanter. XVII. Calen. Decembr. Anno XLVII.

Iohannes Stramburger D.

DIGNITATE ET PRVDENtia ſumma prædito D. Lazaro Spenglero, Domino ſuo obſeru.

S. D.

VIſum eſt mitttere ad te particulam Cantici Salomonei, quod uerſibus Latinis explicare D. Philippus cepit. Quo minus autem abſolueret, perpetuæ occupationes, quæ indies cumulantur, illius impedimento fuere, quibus & alijs quoq; utilibus & præclaris elaborationibus ipſius mora infertur. Cupio autem & Eobano hos uerſus oſtendi. Qui ſi in eodem argumento cupit ponere operam ſuam (id quod facere inſtituiſſe eum audiebatur) poterit uti annotationibus ijs, quas ad te mitto. Easq; eum libenter inſpecturum eſſe confido. Vale.

Vitus Theodorus tuæ præſt. ſtudioſiß.

Particula

PARTICVLA CAP. I.

Cantici Canticorum Salomonis.

CRebra ſuæ Dominus noſter dat baſia genti,
Et figit labris oſcula blanda ſuis.
Namq; tuus fauor eſt nobis iucundior unus,
Quam bona quæ curas pellere uina ſolent.
Cum nobis uerbum donaueris, undiq; fama
Nominis in gentes ſpargitur ipſa tui.
Nunc igitur multi uerbi recreantur odore,
Et norunt multi te pater atq; colunt.
Accurrunt, & te cupiunt nouiſſe puellæ,
Hæc uerbi fragrans agmina ducit odor.
Tu tamen infirmæ prebe ſolatia genti,
Currentesq; iuua numine quæſo tuo.
Eſſe uides nobis ſubeunda pericula mille,
Illa niſi duce te uincere nemo poteſt.
Ecce autem in thalamos ſecurum me modo ducit
Rex meus, & noua nunc gaudia pectus habet.
Hic noua dat miſeræ rurſus ſolatia genti,
Et medios hoſtes, inter & arma tegit.
Hæc, te quisquis amat, benefacta agnoſcere grato
Et laudare ſolet pectore, ſumme pater.
Nigra equidem uideor, ſicut tentoria Cedar,
Incultis Arabes quæ poſuere locis.
Et quoniam exercent me multa pericula, ſpernor,
Fortunæ ſpecies eſt odioſa meæ.
Sum formoſa tamen, pulcræ Salomonis ut arces
In celſa quas nunc ille Sione ſtruit.

PHILIPPI MELANTHONIS de doctrina Physica.

FElix qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturæ uarias & didicisse uices:
Si tamen autorem primum mens quærere curet,
Omnia nec casu corpora nata putet.
Esse Deum mentem æternam, quæ condidit arte,
Præsentiq; suum numine seruat opus,
Agnoscas, quoties in celum lumina tollis,
Et stellas certis motibus ire uides.
Seu quoties hominis naturam introspicis, atq;
Effigiem nobis cernis inesse Dei.
Hunc rerum fontem, si contemplabere, fructus
Magnos, Physicis hæc tibi scripta ferent.

IOACHIMVS CAMERARIVS Vincentio Opsopœo. S.

QVod per epistolam ex me quæsiuisti, de eo accipe, quam petijsti, sententiam meam. Primum Lucianica definitio ea est, quæ Latine sic circumfertur, neq; dubitat Diomedes Grammaticus Ciceroni ascribere: Ars est compræhensio præceptionum excercitatarum ad unum exitum uitæ utilem pertinentium. Significat autem ἐγκατάληψις acquisitam compræhensionem, pro quo illic est: præceptionum. Præclare, ut uidetur. Præceptiones enim de certis atq; cõpertis tradi solẽt. Neq; me fugit uelle ali-

le aliquos Ciceronem præcepta appellare interpretando ea, quæ Græci δεωρήματα. Cum quidem alij præcepta malint, & in illa definitione non præceptionum ſed perceptionum, uerum uideri poßit. De quo, ſi uidebitur, alias. Nunc de iſta definitione habes ſententiam meam, ut iam progredi te recte poſſe exiſtimem, cum ſcribas te hoc loco ſubſtitiſſe. Quod autem iudicarem hanc illa Latina plane exprimi, aliorum interpretationes inueſtigandas eſſe non putaui. Locum Xenophontis ἐν τῷ δ' ευτέρῳ ἀπομνημευμάτων, inſpexi. Id quod meam reſponſionem paulißper remoratum eſt. Nam tunc Xenophonteum codicem non habebamus domi. Ac mihi quidem mendum uidetur eſſe ἐν τῷ οὖ. Idq; propemodum auſim affirmare deprauatum eſſe ἐπὶ τοῦ οὐ. Hoc ſi cui minus placebit, is fortaſſe Græca interpretaturus ſit, hoc quodam modo: Quod ſi quando forte metus inciderit penuriæ, & dubitatio unde hæc acquiri poßint, cum timoris perturbatione: Non equidem ad eos te adduxero, qui ipſi corpore & animo laborant, & in acquirendo miſere defatigantur. Sed eſt omnino uerum: οὐ φόβου μή σε ἀγάγω ἐπὶ τὸ πονοῦντα, &c. Diluit enim occupando ἡ κακία, id quod obijci poterat περὶ τοῦ τῆς εὐπαθείας πόρρω. Atq; hoc dicit Herculi: Ne uereatur, quin futurum ſit, ut ipſius opera nullarum careat rerum ſuauitate & delitijs, absq; omni labore & miſeria. Epicharmei uerſus ſeptenarij ſunt, quemadmodum Latini hoc genus uocarunt, & ſic ſcribendi:

10175788

τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθὰ οἱ θεοί.

Et:

Ὃ πονηρὲ, μὴ τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς.

Hos tu, ut uoles, interpretabere. Habes, de quibus rogasti, sententiam meam. Quam ad te uerbosius exponendam non putaui. Vale. Et: *Si quid noniſti rectius iſtis, Candidus imperti. ſi non, his utere meum. Non. Ian. An. Chriſti* M. D. XXVII.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

Respondebo litteris tuis ὕστερον πρότερον. *Versum mutilum, cui uis me mederi* Iliados π'. *eo ſanaui facilius, quia hunc in noſtro libro aliquando correxeram ſecundum ipſi ſimilem* ἐν τῇ η'. *ubi de Aſio hæc dicuntur:*

ὡς ὃ πρόσθ' ἵππων καὶ δ' ἴφθου κεῖτο τανυσθείς.

Quod uero Iliados ά. *pro* τομῷ *cenſes reponendum* κόμῳ, *motus Virgiliana interpretatione loci illius, & tuam in conferendo diligentiam laudo, & agnoſco quaſi narrationem ſomnij mei. Sed hoc cum & ego aliquando ſuſpicarer, mox animaduerti, idipſum quod Homericus Achilles diceret, á Virgilio ſignificatum eſſe. Sic enim apud hunc Latinus: Imo de ſtirpe reciſum Matre caret. Et Grammatici hoc loco* τομῷ *interpretantur:* ξίζαν ἀυτὸν τμηθέντ-

θέντ☉ ἐν τοῖς ὄρεσι λελειμμένῳ. Venio nunc ad Lucianica. In quibus recte legitur φθάνει. Estq; hæc figura sermonis usitata Græcis. Neq; significatur aliud nisi: Iam olim iactatum esse, Quod nihil sit patria dulcius. In huius Encomij fine non est mendum, sicut quidam opinati fuere. Sed forma orationis ea, quæ in Epigrammate: οὐχ ὁμοῦ ὃς δ' οὔ. Hac scilicet sententia: Neq; eorum qui leges scripsere consuetudo sic sese habet, eorum uero, qui cum imperio exercitibus præsunt, aliter. Vt intelligatur, utrorumq; esse eandem rationem. In secundo phaleride, accipio δημιουργοὺς magistratus, qui Rempub. administrent. Neq; quæro quid reponendum putem. Etsi scio Luciani scripta multis in locis mendose esse edita. περὶ τῶν πιλοφορικῶν σκυθῶν, iam nihil aliud in memoria est, quam quòd Herodotus inter μοίρας τὰς τῶν σκυθῶν, ponit βασιλικήν τινά. Huius nationis Scythas crediderim aliquo Pilei aut Tiaræ insigni nobiles fuisse. Et ἐν τῷ περὶ γυμνασίων, ait Anacharsis: τῶν γὰρ ἄλλων μοι ἀφελῶν οἶνον ἔδοξεν, ὡς μὴ μόνον ἐν ὑμῖν ξενίζοιμι τῷ χήματι. In huius sermonis fine attexitur Bacchylidæ uersus particula. Tota autem sententia extat in libro Dionysij Halicarnassei de nominum compositione, hoc modo: οὐχ ἕδρας ἔργον οὐδ' ἀμβολᾶς, ἀλλὰ χρυσαυγίδ☉ ἰτωνίας χρὴ παρὰ εὐδαίδαλον ναὸν ἐλθόντας ἀβρόντι δῶξαι. Loci in Harmonide interpretatio etiam Erasmica, ut scis, extat. In Zeuxide, ἐκεῖνα, sunt nimirum ἢ νῦν ὀξέως, ἢ χάριτ☉ ἀκτικῆς,

10175786

ἀντικῆς, καὶ τῶν προσερημένων. Habes ad tuas interrogationes nostrã commentatiunculam. Qua, si quid tibi tuarum dubitationum exemtum est, debes hoc non eruditioni præstantiori meæ, sed librorum, quo te fortasse uincimus, numero acceptum referre, ex quibus ista descripsimus. Vale.

Ioachim.

EIDEM.

S. D.

NOn mea negligentia factum est, quo minus hactenus tibi responderim, sed partim nostrarum partim alienarum rerum occupationibus. Nam ego hos dies duos tanquam unus baiulus per urbem reptaui. Non etiam credidi te responsionem tam auide expectare. Poteram enim illam quamuis negotiosus expedire. Hanc igitur moram æquo animo feras. De Pythici certaminis præmio, nihil mihi arridet quod statuam aliud, quam illud malorum fuisse. Atq; inuenio inter malorum genera poni Delphica. Alij quidem, ut apud Latinos Plinius, Græcos Pausanias, tradunt: Victores in certamine Delphico lauro coronari solitos. Versus Homericus ita scribendus est:

Ἀυτίκα δ' ἤφασον προσεφώνεεμ ὃμ φίλομ υἱόν.

Cuius similis mox sequitur. Δεξμηγορέεμ calide dissertare est. Non autem latet te quæ Græcis & Latinis calida ac frigida translate dicantur. Videsq; in illo uersu festiuam esse allusionem: ψυχρὸς ἐὼμ Δεξμη-

10175786

δερμηγορέαν, &c. ἐξαερώσασθαι uero, erit ut opinor, ἀφανίσασθαι μετεωριθέντες ὑπαέριοι, διὰ τῆς φλογὸς δηλονότι. Iam νεκραγγέλους ἠδὲ νεκροδρόμους, Nuntios mortis & quasi inferorum uiatores, propter illum ex uita exitum suum τοὺς πρεσβευτὰς appellauit peregrinus. In Hippia recte suspicatus es prouerbij figuram esse. Atq; id apparet de eo fuisse dictum, qui non solum de rebus subtiliter disserere, uerum etiam gnauiter eas tractare sciret, & particula, φασὶ, hoc indicat. Ad ταχεῖαν adiectiuam dictionem, si assumseris extrinsecus ὁδὸν, erit sententia perspicua. In parasito δὲ τῆς φορᾶς uocabulum nihil aliud nisi impetum significat. Et est sententia: diuersæ opinionis impetu prœlium committi. Ad hoc exemplum, si tibi nostrum studium probabitur, licebit utare eo, quoties libebit. Ita autem uel placide conferendo, uel disputando etiam uehementius, communicari inter nos conatus studiorum nostrorum, neq; alienum necessitudine nostra, & melius fuerit, quam inhumanis atque turbulentis contentionibus dare operam. Fac ualeas. VIII. cal. Febr.

Ioachim.

EIDEM.

S. D.

Similitudinem tuam non agnosco. Neq; enim tua inopia à me magnopere subleuari potest, neque nos opera uti uolentes repellere solemus. Velim igi-

tur tibi perſuadeas, de noſtra tenuitate libenter tibi & quibuscunq; alijs, quicquid poſſumus, ſuppeditaturos nos eſſe. ὄργυιὰν ſcribis ſæpe tibi occurrere, quæ menſura quidem cuiuſmodi ſit intelligas, ſed non inuenias, quo nomine Latino appelles. De quo nec ego quidem in præſentia ſignificare aliquid certi poſſum. Memimiſſe uideor in Budæi ad Pandectas notationibus tractatum reperiri menſurarum γεωδαιτικῶν. Eum librum modo penes me non habebam. Volo autem tibi in memoriam reuocare. Apud Seruium legi explicantem Virgilianum Bucolicum carmen: Vlnam eſſe ἀπὸ τῶν ὠλένων, proprie ſpacium in quantum utraq; manus extendatur. De loco Lucianico, uix aliud uideor ſcribere poſſe, quam nuper ſcripſi. Prouerbij figuram à Geometrarum ſcientia translatam eſſe apparet, Hippiamq; commendari tam ab artis cognitione quam operis effectione: Vt, qui ſciret & poſſet propoſita linea Triangulum exquiſite deſcribere. quod eſt τῶν εὐκλειδείων πρόβλημα πρῶτον. Cæterum extremus locus à me aliter legitur. Non enim ὁρῶν ſed ὡρῶν audeam affirmare ſcribi debere. Vt ſit ſententia: Hippiam inter alia balneum ſuum indicijs horarum, id eſt, horologijs duplicibus exornaſſe, uno per aquam cum ſonitu, altero per ſolem. Hoc loco auctarium adijciam, quandoquidem te hoc ſermone tantopere delectari uideo. Pro Soſtrato enim in libro uetere quem habet ex Haſſeſtenia bibliotheca Aurogallus, legitur Soſipatrum. Vt quærendum

ſit,

ſit, utra ſcriptura ſit uerior. Vale. IIII. Calen. Martij.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

QVod litteris tuis ad me amantiſsime ſcriptis tam ſero reſponderim, rogo te ut mihi ignoſcere uelis. Ita enim malo facere, quam quærere excuſationem neglecti officij. Quanquam profecto uolui ſæpe ad te ſcribere, uoluiq; adeo uenire ipſe, ſed aliqua ſemper hactenus occupatione noſtra, impedita res fuit. Me adhuc etiam domi detinet quiddam leniuſculi quidem morbi, ſed neutiquam tamen contemnendi. Verum breui, quemadmodum ſpero, ueniemus. Ita enim nuper conſtituimus Eobanus & ego. Nunc autem reſpondebo litteris tuis, quibus ſtudioſe declaraſti uoluntatis & amoris erga me tui magnitudinem atq; conſtantiam, poſt reconciliatam gratiam noſtram, ut tu ſcribis. Ego enim, quod ad me attinet, ex quo quidem inita illa inter nos fuit, diligenter eam conſeruatam eſſe exiſtimo. Siue autem, ut tu candide fateris, paululum eſt labefactata amicitia noſtra, quo tempore ego, amici communis cauſſa, acrius tecum expoſtulaui non etiam ſuſcepi inimicitias, ſiue, quemadmodum ego ſentio, etiam inter illa iurgia noſtra, cuiuſmodi interdum neceſſaria ſunt, tamen hæc manſit inuiolata. Cum tu tanto ſtudio animoſus ſis, oſtendere mihi propenſionem promtiſsi-

promtißimæ uoluntatis erga me tuæ, uidere mihi præripuiſſe pulcherrimum argumentum reſcribendi tibi. Hoc enim idem ſi ipſe quoq; facere inſtituam, multo te inferior uidear, neceſſe eſt, qui quidem uſurpem tua. Quam uero laudem habere poteſt? dicere aliquem: par in habenda gratia abs ſeſe referri, cum hoc omittere ſit turpißimum. Faciendum tamen mihi eſt, ut pollicear de me tibi omnia, quæ ſunt uirium mearum, tibiq; ſignificem, non ſolum me integram amicitiam noſtram, ſed auctam quoq; & cumulatam præſtare. Quod quidem & facio imitatione tui, & non poßim ſine ſcelere non facere. Atq; de his hactenus. Venio nunc ad alteram partem epiſtolæ tuæ, in qua ſcripſiſti de libello Græco abs te in ſermonem latinum conuerſo. Quem mihi Typographus admodum ſero reddidit. Inq; eo pellegendo animaduerti Græca multis in locis exarata minime accurate, etiam alicubi mutila eſſe. Idq; etiam interpretatio tua indicat. Quare, ſi uidebitur Græca recognoſces, priuſquam edantur. Eobanus noſter antea ſcriptis Epicedijs alia quædam adiecit, meq; adduxit non ſolum autoritate ſed precibus quoq;, ut adderemus ἐπιτάφια Epigrammata. Hoc etſi grauate fecimus, (uidebamus enim quantum mala carmina habitura eſſent deformitatis appoſita ſpecioſißimis ſcriptis Eobani noſtri Poëtæ optimi) non potui tamen neq; denegare, quod petijſſet homo amiciſßimus nobis, neq; recuſare, quod is iußiſſet, qui plurimum apud nos ualeret. Eum libellum tibi miſimus. Addidimusq; alterum exemplum,

10175786

plum, ut dares cui uelles. Vale. Prid. Calen. Maij. An. Christi M. D. XXXI.

Ioachim. Camerarius.

OPTIMO ET DOCTISS. viro Sigemundo Gelenio genere & virtute clariſs. S.

REdditæ mihi tandem ſunt abs te litteræ poſt longam expectationem meam, ac nonnullam, fatebor enim, dubitationem de uoluntate erga me tua, quam non potui eijcere penitus, in tam profundo ſilentio tuo. Sed proxima epiſtola tua, ſic amouit omnem ſuſpicionem, ut nunc, id quod aliquando fieri non poſſe credidi, & te plus amem, & abs te uehementius me diligi perſpexiſſe uidear. Naturā autem ita ſcilicet comparatum eſt, ut á uera caritate ſolicitudo uix unquam abſit. Sed amabo te mi Sigemunde, cum quid melius aut potius facias, non habebis, cumq; occaſionem mittendi fueris nactus, ad nos ſtudeas perferri litteras tuas, quæ mihi ſemper iucundiſſimæ fuere. Afferuntur ex iſtis locis multa mihi ſane horrenda auditu: Suſcitari rurſum, quondam, ut putabant homines, bene ſopita odia atq; bella. Vtinam hæc ſint famæ mendacia. De Turcicis irruptionibus, ſi qui, quod omnino arbitror, rumores ad uos quoq; peruenere (quomodo enim non peruenerint de tam atrocibus rebus) etſi

ſolent

10175788

ſolent illi plærunq; ſuperare ueritatem, ſcito tamen hac in parte non potuiſſe hos ſatis terribiles exiſtere. Obſidetur & oppugnattur etiam Vienna Auſtriaca. Hoſtis incurſiones excurſionesq; facit longe lateq;, & cædibus, rapinis, incendijs uaſtat omnia. Auxilia undiq; pene ſuppliciter corrogantur. Atq; expectatur cotidie triſtior aliquis nuntius. Vnde facile intelligi poteſt, quo in diſcrimine uerſetur illa Chriſtiani nominis pars: Nosq; adeo, ad quos iſta mala recta uia tendunt. Mi Sigemunde, ne grauare adiunctas his tuis litteras, Friburgum curare D. Stibaro. Vale. IIII. Non. Nouembr. Anno Chriſti M. D. XXIX.

Vienneñ. oppugnatio

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

NVper, mi Sigemunde, litteras tibi miſi, quas ut Friburgum D. Stibaro curares, te oraui, neq; dubito, quin haud grauate hanc nobis operam dederis. Quo minus timide nunc eandem iterum abs te peto. Nam cum abs te diligi me ſciam, non ſolum talibus in officijs, ſed multo etiam maioribus, quæcunq; tandem ſingularis amicitiæ eſſe poſſunt, de ſtudio tuo omnia mihi policeor. Apud nos qui Friburgum proficiſcantur, uix unquam reperiuntur. Danielo autem ut ſcribam, ſæpe mea quaſi colloquendi cum eo cupiditas facit, ſæpe etiam eſt, quod illius referat, non ignorari. Sed poſthac non ero hac in pe-

10175786

in petionẽ uerboſus, & tibi tantum litteras mittam, perſuaſumq; habebo, ubi tu eas acceperis, ſtatim eſſe ad Stibarum peruenturas. Vale.

Ioachim. Camerarius.

DIGNITATE ET VIRTVTE præſtanti D. Laurentio Phryſæo.

S. D.

CVm & legere tibi ocioſas litteras moleſtum eſſe arbitrarer, & quid magnopere ſcriberem, non haberem, hactenus ad te epiſtolam miſi nullam, cuius ſingularem animi propenſionem erga me, multis & claris indicijs perſpexiſſem, ipſe neq; inertiſſimus, ut opinor, neq; peſſimus ſcriptor. Cogitabam ſane proxime dare aliquid Marcello noſtro reuertenti iſtuc, & hac facienti iter, ſed inter initia, neſcio quo pacto, cogitationes illæ defecerunt. Atq; is uix porta egreſſus fuerat, cum tabellarius aduenit litteras afferens ſcriptas ad Marcelli noſtri propinquum, quem apud me haberem, quibus huic de morte patris ſignificabatur, & ipſe accerſebatur ad hæreditatem herciſcundam, quemadmodum uos loqui ſoletis. Hanc ego occaſionem ad te ſcribendi libenter & cupide arripui, ut pro diſcipulo meo litteras, quas idem tibi afferret, ad te darem. Quanquam enim minime dubitabam, quin tua ſponte, aut ſaltem certe Marcelli noſtri rogatu, conſilio opeq; tua hunc

adiutu-

10175786

adiuturus esses, tamen & fidei meæ esse credidi, ut eum tibi commendarem, & putaui tuam humanitatem mea quoque caussa, non grauate cumulum aliquem adiecturum esse studio & benignitati erga hunc tuæ. Ad Marcellum quod attinet, quid mihi uideretur ipsi exposui, & intellexi sententiam eius á me non discrepare. Sed uos in re præsente quid constitui debeat atq; possit, optime uidebitis. Si quid est, in quo ille melius ac utilius dare operam queat, quam in studia nostra, non censeo commodis ipsius obstandum. Sin huius, ut existimo, nihil est: uelim, mi Phrysæe, patiare ab hoc te contra imperitorum hominum, si qui erunt, impedimenta aduocari, & optimus patronus litterulas nostras, & huius ardorem ad illas, tuteris. Verum de hoc satis, uel nimium etiam. Habes enim Marcellum ipsum hominem diligentem ac ξητορικόν. Ego, mi Phrysæe, etsi non sumus uterq; secuti eandem uitæ rationem, in hac tamen discrepantia, propter studiorum similitudinem te diligo, & abs te diligi me confido, speroq; tibi non ingratam esse uoluntatem meam, & mihi persuasio de tua erga me, mirum in modum esse iucunda solet: Qua fretus per D. etiam Stibarum tecum nuper egi, ut commentarios conficeres, uel narrationem potius pertexeres, tumultus plebei. Id quod te recepisse libenter, ille mihi ostendit. Itaq; coniecit me in magnam expectationem cognitionis earum rerum, quas fideliter diserteq; perscriptas magnopere uidere aueo. Mitto tibi Philippi Melanth. opusculum, quod nos quasi parergo quo-

dam

10175786

dam auximus, & te non inuitum lecturum esse exi-
stimauimus. Vale.

Ioachim. Camerarius.

DIGNITATE ET PRVDEN-tia excellenti viro D. Lassaro Spenglero.

S. D.

Libellum, quem mihi inspiciendum Georgius no-ster tuis uerbis misit, statim postquam accepe-ram, percurri legendo. De quo equidem iudicium facere non uolo. Quæ opinio mea sit, mihi & licere, &, quia tu postulas, exponere, necesse esse arbitror. Duo disputantur in hoc sermone: Vnum, ut Turcicus furor repellatur, idq; attingitur tantum. Alterum, ut dissidia inter Principes Germaniæ religionis nomine excitata, sopiantur, & firmetur concordia. In quibus ita sese gerit autor, ut, cum merito quorundam importunitatem detestetur, qui cupiditatibus suis pietatis studium prætendunt, eos qui palam impij sunt, molli admodum brachio obiurget. Et fortasse huius consilij ipsi ratio constat. Non enim eius animum, qui scripsit, uideor mihi ignorare, aut non agnoscere personam. Quapropter ita existimo: cum hoc scriptum quorundam uitia iure insectetur, & suadeat pacificos conuentus, posse recte edi. Contra cum uulgaris compositio sit, & non uero modo istam consultationem tractet, quandoquidem ex partibus in alteram acerrime inuehitur, ne-

que fortaſſe immerito, alterius ſcelera, quæ manifeſta ſunt, ſilentio præterit, non nocuerit, ſi in hac urbe non fuerit iſte ſermo exprimendo elaboratus. Quamuis enim hæc ita ab autore, certis de cauſsis, inſtituta exiſtimem, cum tamen non tam profutura ad conſenſionem, quam animos aliquorum irritatura uideantur, non puto hic urgendam editionem. Et, ut ſemel dicam: Neq; eſt cur diuulgari ſcriptum iſtud debeat, neque eſt cur omniino non debeat. Quare, quicquid ſtatuerit prudenta tua, repræhenſione cariturum eſſe confido. Liber enim neq; prorſus malus eſt, neq; excellenter bonus. Quod ut opinionem referens dico, non pronuntians ſententiam. Tuam humanitatem oro, ut per Georgium me certiorem facias, unde ſcriptum hoc ad te peruenerit, ut ſcire poſsim, an de autore recte fuerim ſuſpicatus. Vale.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

FAcis tu quidem perquam amanter, qui cum ipſe conſolandus ſis, me tam ſtudioſe conſolaris. Non enim mihi ignota eſſe potuit uoluntas erga amicum, cuius conſuetudinem & uſum amiſimus, noſtrum tua, neq; oblitus ſum ſermonum tuorum, quos ſæpiſsime de illo mecum habuiſti, quibus perſpicue oſtendebatur, quanti illũ faceres, quodq; eſſet iudiciũ de ipſius ingẽio, probitate, integritate, fide tuũ. Quare cum non dubium eſſe mihi poſsit, incredibili te huius

ius mortem dolore affeciſſe, teq; grauiſſimo in luctu eſſe, amantiſſimum mei animum plane declaraſti ſtudio conſolationis tuæ. Ego ſi negem me hoc nuntio mirifice eſſe perturbatum, mentiar. Vixi enim cum Georgio noſtro coniunctiſſime, neq; unquam ſerio diſſenſio inter nos orta eſt. Quid dicam de uoluntatum ſtudiorumq; ſimilitudine? Etſi enim ille non didicerat litteratas eas artes in quibus nonnullum nomen maximis nos laboribus conſecuti ſumus, & intelligebat tamen quam ſpecioſæ eſſent, & has ueneratur imprimis. Ex quibus cum in procliui cuiuis ſit cogitare, quantæ mihi illius conſuetudo ac familiaritas uoluptati fuerit, cui poteſt eſſe obſcurum? in quantam ægritudinem me coniecerit nuntius interitus ipſius. Quam eſſe intolerabilem ne me quidem ipſum fateri pudet. Neq; enim turpe duco ob talis amici obitum affici acerbiſſimo dolore, & me, qui in ſtudijs humanitatis ætatem contriui, animo eſſe molliori, mihi ignoſcendum eſt. Te quidem, erepto collega tibi tuo, & quem uirum Reſpublica amiſerit, intelligentem, et cogitantem quo ſocio curarum laborumq; careas, incredibiliter angi, certo ſcio. Atque huius uulneris cruciatum te perferre fortitudinis tuæ, & ſapientiæ eſt diſſimulare triſtitiam, alteriusq; adeo luctui moderari. Ago autem gratias humanitati tuæ, cum tales litteras tam diligenter ſcriptas ad me miſiſti. De cæteris coram breui, Deo æterno uolente, colloquemur. Nam & te reuocante & mea ſponte in urbem reuerti accelerabo. Vale.

Ioachim. Camerarius.

PRÆSTANTI DIGNITATE & virtute viro Thomæ Blarero, amico obſeru. S.

S. D.

VBi igitur eſt amor ille erga me tuus, Thoma, quem tu in uno quodam uerſu ad me, ais, æternum fore, non ceſſantib. annis. An ferre poteſt ille tam diuturnũ ſilentium? Iam annus eſt, ex quo, quid agas, quid dixi agas, neq; ubi maneas, neq; an omnino uiuas, certo ſcimus. Quãquã domi tuæ te ſuauiter uiuere, & audiuimus & ſumus gauiſi. Sed nos tuum indicium expectamus. Nunquid uero te, rebus ſecundis & fluentibus ad uoluntatem, noſtri cepit obliuio? Ego quidem cum maximo deſiderio recordor ſemper iucundiſſimæ conſuetudinis, quæ inter nos fuit aliquando, cum animo perturbato, ijs, quæ nunc perpetior, ueluti proluderem. Nam poſt illud tempus ſemper & ægritudo animo meo auctior, & fortuna aſperior fuit. Quæ quidem patriæ meæ tempora conſecuta ſint, non puto te ignorare. & ſunt ea communia mala cum aliorum plurimorum malis. Te intellexiſſe autem quod hic conſederim ex litteris tuis ante annum ad me ſcriptis cognoui. In his uero quid mali ineſt? inquis. Primum de munere apud te hominem Philoſophum, modice, deinde ut apud πολιτικὸν ἄνδρα, de exilio, afflicta confuſaq; domo in patria, liceat, niſi fallor, grauiſſime conqueri. Atque hæc cum animi uulnera, quæ aliqua tempore coierant, refricent. Te cupio æſtimare, quantis doloribus &

bus & cruciatibus consumar. Peto igitur abs te, ut me, non iam consolationibus, sed προσευχαῖς πρὸς τὸν Θεὸν, adiuues. Dicebatur nescio quid pueri uestratis huc mitti discendi caussa. Velim itaq; te, pro nostra uetere necessitudine oratum, ut nobis indices de pueri istius ingenio, genere, & si quid aliud significandum duxeris, ut scire facilius possimus, quam spem de eo concipere, & quid omnino agere debeamus. Vale.

Ioachim. Camerarius.

H. EOBANO HESSO
Poêtæ, amico S.

S. D.

SI tu coniunx liberiq; tui in patriam salui incolumesq; redijstis, Siq;, ut uoluistis, omnia uobis in itinere acciderunt, & nunc procedunt, bene est: Nos nostræq; res uetere in loco tolerabiles sunt. Hunc tabellarium, qui istuc proficisceretur forte nacti, cupidissime arripuimus, quod diceret, se statim huc esse recursurum. Grauius autem multo ferimus, quam credidimus nos esse laturos, te à nobis abesse, & carere consuetudinis tuæ iucundissimo usu. Probaturq; mihi hac etiam in parte id, quod ille apud Plautum ait: Tum demum intelligere sua bona homines, cum, quæ in manib. habuerunt, ea amiserint. Quod si, quemadmodum speramus & cupimus, tuo commodo fortuna te hinc abduxit, facile consolabor meam miseriam felicitate tua. Tu tamen & ipse non

ceſſabis ſuauiß. litteris tuis leuare hanc ſolitudinis noſtræ moleſtiam. In tanta ne, inquis, urbe ſolitudinis? Recte inquam. Neque enim plærisq; mores mei & ſtudia noſtra, neq; illorum mihi apta & congruentia uidentur. Verum de me permitto Deo æterno omnia. Cumq; meam uitam uarijs caſibus expoſitam eſſe animaduertam, ſicut cæterorum quoq;, non arbitror faciendum, ut nimium feram indigne, qnæcunq; fata tulerint. Si quid tamen inciderit, quod affligat aliquanto acerbius, in illo ſenſu doloris, quaſi gemitus mihi homini, ſi placet, φιλοσόφῳ & forti concedatur. Qualis certe eſt diſceßio á nobis tua, & ipſa per ſe, & quæ, tanquam una præterita tempeſtas, nubila illa nobis reliquit. Qua in parte plurimum recreor, & ſpe crebritatis litterarum tuarum, & animi mei conſcientia. Nam multo mihi leuius erit, quod abſis, cum ſæpißime te nobis litteris tuis quaſi repræſentaueris, & quicquid fieri potuit, id me ſtudioſe feciſſe ſcio, ne quod res noſtræ detrimentum acciperent culpa noſtra. Sed de his ſatis, ac potius nimium. Tu, ut ſæpe feciſti ſeiunctus á nobis pauculis domibus, nunc cum ſint tot inter nos:

οὔρεά τε σκιόεντα καὶ ὕδατα ἤχήεντα,

Operam dabis, ut cum litteris tuis chartæ fueris complexus plurimum, nequid inane aut uacuum intus relinquatur. Sturciadæ familiaritatem, ſi quid forte initio tibi iſtic ueluti inſolentiuſculum fuerit uiſum, ſcio tibi facile omnem ægritudinem abſterſuram eſſe. Cum quo, aut fallor, aut tu etiam γεωμαντικά exercebis. Quanquam melior es μάντις

τις οὐράνιος, id est, ἱερὸς μυσῶν ὕπο φήτης, ut terrena ista contemnenda tibi esse uideantur. Implicui his litteris epistolam, quam mihi reliquit tibi curandam Petrus Secerij gener. Puto eum flagitare abs te clipeum. Cupit enim obijcere aliquid aduersus æneum impetum officinæ suæ, quæ illum admodum urget. Sed tu, mi Eobane, nostra quoq; causſa, celeriter absolues incepta. Hoc erit argumento, non displicere tibi nostras nugas, si cum illis optima tua studeas coniungi. Quod si tu abs te istam partem denegaueris huic syntheſi, nos nostros laceros pannos tineis abijciemus. Hoc ita poteris probibere, ut non subtrahas nobis præsidium clipei tui. Non enim temere fecimus ut poscereмus abs te optimo Poëta defensionem scriptis nostris. Nam quemadmodum Teucer apud Homerum delicias tuas: ϛῆτ' ἄρ' ὑπ' αἴαν-τ' σάκεϊ τελαμωνιάδαο: Et: πάϊς ὡς ὑ-πὸ μητέρα δ' ὑσιεν εἰς αἴαντα: Ita ego cupio subter te tuaq; meis ineptijs perfugium esse. Sed tabellarius instat. finem igitur faciam, si tibi salutationes prius mandaro: Nominatim quidem domesticas atq; familiares, ut à me meisq; omnibus, tuis uniuersis salutem dicas, itemq; Sturciadæ summo nostro, reliquas committo iudicio tuo, dicendas notis nobis ueteribusq; amicis. Vale. è Norico. VII. Id. Maij. Anno Christi M. D. XXXIII.

Ioachim. Camerarius.

10175788

H. EOBANO HESSO.

S. D.

De libello tuo non est quod ullius sententiam exquiras, cum totam istam rem tui iudicij esse conueniat, artificis in hoc genere eximij. Quod autem me quasi honorarium iudicem legis, agnosco equidem bonam existimationem de me tuam & opinionem singularem. Pronuntio igitur: Et esse luculenta breuitate præclarum scriptum tuum, & utilitatem cupientibus rationem faciendi uersus cognoscere, maximam allaturum. Atq; uersus, quos, si probarem libellum, componi à me uoluisti, mitto. Vale.

IOACHIMI CAMERAR.

Hinc ad Musarum quicunq; doceberis undas,
Tam pauci quod nunc ingrediuntur, iter:
Quamuis multa tibi ostendatur semita, nullam
Hac Hessus potius quam tibi monstrat, eas.

OPTIMO ET DOCTISSIMO Viro Matthæo Collino Professori opt. litterarum & artium amico S. Pragæ.

S. D.

Noster Iacobus qui mercatu proximo reddidit mihi uersus tuos & munusculum κωνοειδὲς quod una miseras, attulit, properans Vuittenbergam,

gam, aiebat acceſſurum ad me eſſe popularem quem-
piam ueſtrum,& petiturum litteras ad te meas. Sed
is nullus uenit. Nam inhumanum fuiſſet non agere
gratias tibi, ſi occaſionem haberem litteras ad te mit-
tendi. Poſtea allatæ tuæ alteræ fuerunt me abſente.
Nunc occaſione mittendi primum oſtenſa, ſtudui ui-
ciſsim aliquid litterarum ad te dare. De munere qui-
dem ago tibi gratias, ut debeo. Verſus autem pro
uerſibus rependere non licuit, multis & uarijs curis
occupato, & perturbato moleſtijs, de quibus ſcri-
bendum non eſt. Muſis autem non ſine cauſſa ſcis
tribui nemorum ac fontium quieta & placida loca.
Hos igitur deberi nunc etiam á me tibi patiere. Ad
Grammaticam quæſtionem quod attinet, tua ſenten-
tia uera eſt. Nam cum terminatio præteriti actiui
mutari in paſsiuo ſoleat in μαι, ut πεποίηκα πε-
ποίημαι, ἔψαλκα ἔψαλμαι, uult retineri, ſi poſ-
ſit ἡ χαρακτηριστικὴ, uel ipſa, uel huius ἀντίσοι-
χον. Vt in ἔψαλμαι ipſa ſeruatur. In πεποίημαι
longa ponitur pro breui, quia ad formationem præ-
teriti requiritur formatio futuri, ut docuit Gaza.
Ita in uerbis ſecundæ συζυγίας uel χαρακτηριστι-
κὴ eſt media, ut λέγω λέλεγμαι, uel ἀντίσοιχον
alterius, ut βρέχω βέβρεγμαι, πλέκω πέπλεγ-
μαι. In prima ſimiliter eſſe debebat β. Sed non pa-
titur linguæ Græcæ proprietas collocari β ante μ.
Ergo μμ geminatur. Cum autem tres conſonan-
tes eædem continuari nequeant, ſequitur in ijs uer-
bis, quoniam de formationis præcepto tria μ. con-
currerent, unum ut ſit abijciendum. Id quod & tibi

10175788

uideri ſcribis. In his autem & alijs formationibus canonicis uidendum eſt, non modo quid docendi cauſſa fieri debeat, ſed quid uſus autoritatis uetera concedat. Non enim certe reperies illorum quenquam uſurpaſſe in ſuis ſcriptis τὸ πέπεμμαι aut τὸ λέλαμμαι, ἀπὸ τοῦ λάμπω nec πέμπω. Cum præſertim alterum incidat in ſimilitudinem præteriti á uerbo λάπτω, alterum præteriti á futuro πέψω, quod attribuitur uerbo πέσσω. De talibus facile patior me conſuli & poſſum reſpondere. Quapropter, ſi quid in hoc genere poſthac forte requires, de eo non dubitabis ad me referre. Vale.

Ioachim. Camerarius.

IOACHIMVS CAMERARIVS N. amico S. D.

NIhil opus eſt defenſione ad me tibi. Sed neq; ego accuſationẽ tuam expectaui. Neminem odi. Vel non ſic certe odi quenquam, ut male ei eſſe cupiam. Liceat etiam perſcribi ad te, quod ſentio: Amo omnes, etiam maledicos & aduerſarios. Optarim enim eos eſſe aliter, & quemadmodum me meis uitijs, ita illos ſuis carere. De quibus ſi qua uehementior oratio mea extat, non maleuolentiæ erga aliquem acerbitas, ſed improbitatis deteſtatio ea uideri debet. Nam ad crimina quod attinet: Hæc etiam unumquemq; ſibi ipſum, & alteri, rebus manifeſtis, inferre

inferre rectum est, ut peccata corrigantur. Quibus si quis audet contra ueritatem patrocinari, mauultq; in errore perseuerare, quam hunc agnoscere atq; relinquere, idq; repræhenditur: Non est istud probrũ maledictumq; iam alienum, sed proprium. Falsæ quidem ac malitiosæ calumniæ sunt refutandæ, non tam ut personæ innocentiam tueamur, quam ne rei ueritas labefactetur. Sed tempora sæpe tam sunt turbulenta, ut quemadmodum dicitur, ἄνω κάτω ferantur, & confuso promiscuoq; impetu incitentur omnia, quales sunt, sicut quidam ueterum dixit, μυϊάδ' ἐπ]οκμένων διαδρομαί. Vesania quidem certe non solũ non dissimulans, sed ostentans etiam iracundiam animi commoti & æstuantis, si cui bella nunc quoq; uidetur, is á nostro iudicio nostraq; sententia admodum discrepat, neq; ista aspicit iisdem oculis, quibus nos solemus intueri. Sed de his nostras litteras silere fuerit melius, & agere res suas, sicut cœperunt. Retuli autem tibi nuper quasi rationes de quibusdam propositis mihi ad considerandum. Nunc accipe de Zetza. Quod nomen, de hoc enim quæris, non dubito, quin pronuntiatione & forma barbarica, diminutum sit. Et ipse similiter alia quoque protulit, ut Paulitzen. Sed quodnam primum sit nomen, haud scio an nemo indicare certo possit. Credibile mihi uidetur, alludere illud ad nomen Hebraicum Seth (nam ipse suum genus Syrum esse fatetur) Idq; eum inepta festiuitate diminuisse εἰρωνευόμενον, cum quasi abijceret sese coram æmulis & aduersarijs, quos habuisse se complures passim indicat.

indicat. De uersibus autem ipsius politicis, sic sese rem habere puto, ut illis temporibus populare seu uulgare istud genus in usu fuerit, annumeratis ad singulos uersus syllabis septenis, sine obseruatione temporum, & procedente pronuntiatione κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν ἀμέτρως. Quæ autem ab eo referuntur propter uarietatem, in penuria bonorum librorum ueterum, nequaquam sunt contemnenda. Quamuis nugatoria multa inserta, & perperam atq; falso nonnulla commemorata reperiantur. An autem memoria eum alicubi destituerit, an de industria aliorum ipse narrationes mutauerit, an nusquam etiam tradita confinxerit, de eo licet suspicetur, quisq; quod lubet. Nam ueterum librorum aliquam adhuc illis temporibus copiam fuisse in medio, non est dubium. Cum quidem ipse obiecisse sibi æmulos librorum penuriam, significet, & plæraq; sese memoria compræhensa proferre glorietur. Quod autem ne uoluerit quidem suscipere laborem componendi uersus eruditos, secundum Musicam artem, ipse plane dicit, Iambicis uersibus quibusdam caussam afferens: Negligentiam atq; contemtum bonarum litterarum atq; artium sua ætate. Quæ nimirum & his temporibus nonnullorum & ipsa studia retardant, & obstant industriæ, & animos in laboribus necessarijs perferendis debilitant. Cum cernatur & despici paruiq; uel nihili quoq; fieri eruditio doctrinæ, & depræhendatur detrahere ea opinionem peritæ facultatis aliarum disciplinarum, qua maxime ineruditi inprimis excellere statuuntur. fuitq;

10175788

itq; mihi notus Iurisconſ. (quem hoc loco nominari inhumanum eſſet) qui data opera male loquebatur Latine (cum melius ipſum, ſi uellet, ſcire conſtaret) ideo ut præclarior de ipſo opinio eſſet inter Iuriſconſ. in quorum ſcilicet libris ſic iam uerſaretur, ut prioris ſermonis elegantiam deteri appareret. Quid dicam de Galeno Medico? Qui propemodum commendans ſolœciſmos, cum ipſe fuerit eruditiſſimus, patrocinio tamen ſuo negligentiam eruditionis non parum tuetur. Iam de iudiciorum inanitate quid conquerar an ſileam? Quæ enim ſcripta bona & diligenter elaborata probantur ijs, qui ſapientes uideri uolunt, aut quæ, improbantur leuia atq; nugatoria? Sed de his ſatis, uel potius nimium. Quia autem ſciebam te uerſus, quorum mentionem feci, requiſiturum, ut labore hoc te liberarem, curaui deſcribendos illos, & addidi meam interpretationem, eamq; cartam his litteris implicui. Atq; utinam non ut in illa gente & ætate, eruditæ doctrinæ interitus, non ſolum diſſolutione uitæ, & Legum ac Iuris peruerſione, & Reipub. euerſione, ſed ſuperſtitione quoq; & impietate cumulatus eſt, ſic & noſtra tempora atq; loca corripiant maiora de ſimili euentu mala. De quo plura ſcribere, etiam ominis cauſſa, non libet. Venio nunc ad τυμβωρύχους tuos, qui ſunt effodientes buſta. Eos ijs in locis fuiſſe facile intelligis, ubi ſepelirentur integra corpora mortuorum. Nam quid prodeſſet urnula cum oſſibus & cinere furi? Nõ fuere enim illæ certe omniũ paſſim aureæ, κατὰ τὸν χρύσειον ἀμφιφορῆα Thetidos

apud

apud Homerum. Isto autem comburendi corpora more preciosa quæq;, una cum corporibus in rogos conjecta cremabantur. Sed una cum cadaueribus alicubi olim magnæ opes defossæ fuere. quas nimirum quæsiuerunt illi effossores sepulcrorum: Vt Iosephus narrat de Dauidis effosso sepulcro ab Herode (cui scilicet licuit id in dominationis potentia, quod fuisset alterius in egestate facinus capitale) Et Arrianus de effosso sepulcro Cyri superioris. Et Zetza noster temporibus Michaëli filij Theophili fuisse, narrat, perfossum monumentum sepulcri Nicomediæ, in quo conditum esset corpus coniugis Nicomedis regis Bithyniæ, quæ mortem obijsset, cum canis regius abripuisset mordicus dexterum humerum illius amplexantis regem, quod canis externam eam gente Phrygiam nondum satis notam haberet. Et fuisse monumentum illud lapide inaurato extructum, scripsit, inuiolatum ad tempus usq; supra indicatum. Cadauer etiam:, quale fuerat depositum, cum veste textili aurea: Eaq; conflata auri inuentum pondus librarum CXIII. Nostra quoq; ætate, muliebre corpus, forte dum ad ædificationem quandam fundamentum quæritur, Romæ repertum esse traditur, cum preciosarum rerum magna copia ac uarietate. Vt is, de quo scribis, tanquam futiles istos fures deridere, (qui periculum max. spe parui uel nullius etiam emolumenti adirent) non debuerit. Cui nimirum in animo fuere & temporis & nationis nostræ pauperes sepulturæ. Quas scilicet uiolantes effodiendo, ob lintei unius, aut nescio quod aliud lucellum, uere

sunt

ſunt futiles. Habes, de quibus quid in mentem mihi uenerit, uoluiſti cognoſcere. Vale, &, quod facis, amicitiam noſtram mutuæ beneuolentiæ ſtudio tuere.

VERSVS ZETZÆ.

Ἡ βίβλος ἀλφα ζετζικῶν πονημάτων
μέσης φέρουσα μέτρα τῆς ἀγυρτίδος,
ἢ τῶν ποδῶν εὔρυθμον ὑπηρεῖ βάσιν
πάσας δὲ μισεῖ διχρόνους καὶ τριχρόνους,
ναιὼν δὲ τέχνης ὕδαμῶς αὐτῇ φίλος.
καὶ τί γὰρ ἂν ἴις τεχνικῷ χράφοι μέτρῳ,
πόδας γε ἡρῳοῖ πανλαχοῦ καὶ διχρόνους,
καὶ πάντα λεπτῶς, ὡς χρέων ἀποξέοι;
ἴσων δοκούντων τεχνικῶν καὶ βαρβάρων,
μᾶλλον δὲ πολλοῦ βαρβάρων ἡμαυμένων,
καὶ τῶν ἀτέχνων, ὡς σοφῶν, κρουσμένων.
καὶ ταῦτα ποίοις; τοῖς δοκοῦσι παντόφοις.
ὕτω τὸ καλὸν ἐξαπέπτη τοῦ βίου,
ὕτω καθεκράτησεν ἡ χυδαιότης.

INTERPRETATIO GRÆcorum verſuum Latinis.

Hic liber eſt primus laboris Zetzici,
Muſæ modis carentis ac Agyrticæ,
Numeroſa cui curæ pedum haud eſt greſſio,
Quæ menſionem & odit omnem temporum,

Cordi

10175788

Cordi neq; est huic artis ulla regula.
Et cur enim aliquis artifice scribat modo?
Leges ubiq; temporum & seruans pedum.
Et cuncta poliens, ut decet, subtiliter:
Artificiosa cum pari atq; barbara,
Maiore sint adeo inq; honore barbara.
Et ineruditi plausum uti docti ferant,
Adeoq; ab ijs doctissimos qui se putant.
Ita auolauit uita ab hac laus & decus.
Vulgaris ita regnum tenet confusio.

DIGNITATE, VIRTVTE ET doctrina præstanti D. Iohanni Cratoni ad Craphthæm. Imperatoriæ Maiest. Medico, &c. amico S. S.

S. D.

INter ea quæ præcipientibus diuersis didicisse se M. Antoninus Imperator commemorauit, Alexandri Platonici (puto autem Aphrodisieum indicari) præceptum refert: μὴ χωρὶς ἀνάγκης λέγειν, ἢ ὡς ἐπισολῇ γράφειν: ὅτι ἀσχολός εἰμι. *Non enim putat excusationem ullius negotij neglecto officio recte prætendi. Nullæ etiam meæ sunt tam graues occupationes, quæ scribendis ad amicos litteris impedimento esse possint. Cur igitur, inquis, rariores tuas accipimus? Tres sunt caussæ propter quas hoc fieri solet. Vel quia aduersa ualetudo obstat, uel quia non offertur tabellarij copia. Vel quia nihil*

nihil est scriptione magnopere dignum. Hanc quidem te non admissurum esse præuideo, cum affirmes, in meis litteris legendis te semper acquiescere, & tam bene existimes de facultate ingenij mei, ut indies perscribi aliquid à me posse censeas, quod tu libenter lecturus esse uidearis. Ex duabus quoq; reliquis præcipua est, penuria tabellariorum. Nam ualetudinem, etsi ea est & ætate infirmior, & ob malum tibi notum incommodior, moram tamen hac in parte inferre, nisi interdum κατὰ παροξυσμόν τινας, non oportere existimo. Vna igitur causa restat, penuria, ut dixi, tabellariorum. Quæ, ut speramus, breui ipsa quoq; amouebitur, ubi propius accesseris. Fama enim spargebatur, de aduentu Imperatoriæ Maiestatis in Bohemiam. De quibus scribis, ea sunt talia, quæ & dolorem & indignationem mereantur. Illum ob cæcum, hanc ob improbum furorem hominum. Sed aliter non fit in articulis & momentis fatalium mutationum. De quibus tristissimis rebus ideo quoq; scribere plura non libet, quod omnia, quæ commemorantur incommoda, uel etiam maleuola atq; iniqua interpretatione soleant conuerti in contrarium. Itaq; Plautina meditor ex Bacchidibus: Nihil iam me oportet scire, oblitus sum omnia. Nescio etiam id quod scio. Et, quo res in loco sint, mecum deploro tacite, & intuens in ea, quæ similiter alijs antea temporibus acciderunt, de euentibus, qui impendent, capio coniecturam, ἀναστησάμενος τὰ λοιπὰ, εἰς τὸν θεόν. De epistolis, quarum meministi indiget res consideratione. De il-

10175786

lis autem, quas Philippus Melanchthon ad me scripsit colligendis atq; diuulgandis, uidebimus. Cui uiro optimo & pietate, uirtute doctrinaq; excellente prædito, quod nunc etiam á quibusdam obtrectari, graiter molesteq; mecum fers, facis id, quod te hominem pium eruditumq; & probum facere necesse est. Neq; tibi solum hominis, quem uiuentem amasti & coluisti merito ipsius, caussa, dolori istam petulantiam esse scio, sed etiam, atq; adeo multo magis, quod bene constitutas & præclare extructas res, tam audacter conuelli & proterue confundi animaduertas. Petunt undique scripta illius quidam tanquam crabrones & uespæ inuolantes, & conantur alij in hoc, alij in illud emittere aculeos suos. Quidam etiam non modo sapiens & doctus, sed elegans quoq; & facundus, ut uideri uult, Locos illius locis opposuit, Topicorum titulo. Alij non cessant carpere hinc inde, quod exagitent. Verum scripta Philippi Melan. soliditate sua facile ab inani impetu defenduntur. Ex uersibus, de quibus tibi dictum esse scribis, & quos requiris, haud scio an editi nulli sint. Ostenderim ne ego aliquibus aut descriptos quoque tradiderim, sane nescio. Quod persuasum autem haberem, ueram esse sententiam illorum, & prædicationem etiam maiorem uberioremq; ea, de quibus facti sunt, mereri, ideo eos recognitos huic epistolæ subieci, & cum hac exprimendos curaui. Id quod tibi neutiquam ingratum fore confiderem. Quamuis enim ad te priuatim hæc scripta essent, publice tamen

10175786

men etiam legi, te non nolle, credidi, uel habui potius pro certo. Vale.

Ioachim. Camerarius.

ΕΙΣ ΘΕΟΛΟΓΙΚΟΥΣ
τόπους Φιλίππου μελάγχθονος.

Πολλὰ θεορρήτοιο θελήματος ἄλλ' ὑπὸ πολλὰ
γράμματα τ' ἱερῶν ἐκπεπόνητο λόγων.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τάδε νῶϊ ξυνεγράψατ' ἐσαῦθι Φίλιππος
ἀντεκτοισδ' ἔλλογα πᾶσι τιθεὶς,
μήτις ἔτ' εἰς ἄλλας δ' ἀπανάτω κέρματα βίβλους,
τῇδ' ἐγὰρ ἔστι μιῇ πάντα λαβεῖν.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΕΩΣ
γεγονύιας ἐπὶ Καρόλου αὐτοκράτορος ἐν τῇ αὐγούστῃ, ἔτει ἀπὸ χριστογονίας.
α. φ. λ.

Ἡ πρὸ σεβασείου μακρόν ποτ' ἄυσε χρόνοιο
ῥῆσις ἀληθείας σύμβολος εὐσεβέος,
πολλήθει γὰρ οὐ πολλῶν ἐξωμολογημένη ἀνδρῶν,
φρεσὶ δ' ἀνδρῶν δ' ἀγαθαῖς πολήθεος εἰσαρίθμων

χαλκείοισι τύποις κεχαραγμένη αὖθις ἴησι
εἰς φῶς, θεσπεσίῃ συμπροφέρουσα νόῳ.
τῇδε δ' ἔπειτα φίλιππος ὁ πρὸς τάδε θεό-
θεν ἐλθὼν
ὡς ὑπεροπλοτῶν τάξιν ἐπῆγε λόγων.
τίπτ' ἔτ' ἄρ' ὦ δύσκηλ' ἐχθράρι ἐγείρετ' ἰωλώς;
χέρσ' ὑπὸ δ' ἡ καινὴ νῶϊν ἵκετε βελτίοσιν.
οὐχ ἅλις ὅτθ' ὅπλων τοσαυτάκις ἐξενέκοφθε
ἀνλιβολήσαντες θεοτέρων δ' ὠράμεθ';
ἀὐτὰρ ὑμῖν ὅσοιτε φιλόχρισοί τ' ἀγαθοί τε,
πάντοτε τῶν θείων ἀντιλαβέσθε πόνων.
εἰ δέ τις εἰσυποδὺς οἷον λωβήτρι ἀλώπηξ
δηλεῖται φθονερῷ ταῦτ' ἐρίθεια δ' ἄκει,
ἀλλὰ σύ, ὦ θείοιο λόγοιο σώφρονος ἄγημα,
τῆλ' ἀπὸ τοῦδε φθορὸν τόνδε δίωκε φυτοῦ
κλήματος ἁγαθέοιο κατ' ἄμπελον οὐρανόφοι-
τον εὐθαλέος, καθαροῦ, καρποφόροιο, καλοῦ. (Τομ

ἀπο Ιωαχείμου καμερας.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

(γῶνα

Τόν δ' ἑσπόθ' οἱ θεόμισθα θροισθέντες πρὸς ἄ-
ἔθνεος ἄτρεστον σάξον ἀμφὶ ταγὸν
ἧς περὶ εὐνομίης ὁσίων προκαλούμενοι ἔργων,
καισαρέοιο λόγον δ' ὧν καμ' ἑνὶ θρόνῳ.
ὃς μετέπειτ' ἄμαχον καί τοι μόνον αὐτὸν ἐόντα
οἷον δή τισ' ὅμως φράξεν ὅπλοισι ΜΕΛΑΣ.
οὐχ ἅ κάμ' ἴφθιμος, μᾶλλον δ' οἷς πνεῦμα θε-
οὐρανόθεν θείας τεῦχον ἔσαξε χαφάς. (οιο
ταῦτ'

ταῦτ' ἀναλεξάμην σοι συγερῆς ἄγε νῦν ἔρις ὅς κ' ἀλήγετ' ἀληθείᾳ σὺν ὑπακουσάμενοι.
ἡμὲν ἔρις μάκαρσι διαλυμάντερα βίοιο
ἣν δ' ἱερὴ πάλλει πᾶν καλὸν ἡσυχίην.
ἀλλ' ὑμμὶ οἱ περὶ μὴν δ' ἰδ' αχῇ περὶ δ' ἐσὲ νοήσει.
λείπετε θ' ὑλυπλόκων ἔργα σοφισμάτιων.
ἶσον δ' ἐμ πείθεσιν ἔχοντες ὁμόφρονα θυμόν,
δ' εὖ ἐπὶ τὸν θεὸν σῆτε θρόμοι θόλεμον.
θάντοτε τοι θείῳ σῆτε θόνῳ θρόμαχοι.
δ' εὖθ' ἅμα τῆς θείης ἀντιλαβέσθ' ἀρετῆς.
θάντοτε τῶν θείων θηθ' ὑπὲρ ὅπλα θόνων
σύμμαχον ὦ δ' ἱεραῖς θέσθε γραφῇσι δόρυ.
ἀνδ' ἰὴ ἐθ' ἀνλιπάλων ἀνλιφέρεσθε βολώ.

τὰ λοιπὰ θροσιτέσθων φιλόχρηστοι
καὶ θεοσεβεῖς ἕτεροι.

MAGNIFICO VIRO
Domino Chriſtophoro Carolouicio, &c.

QVod chartam mihi, ſicut ante, mittis,
Chartarum modo perdita officina,
Quam Muſis inimica Gratijsq;
Abſumſit mala flamma ſæuientis
In fundum ignis & in Lares paternos;
Nimirum ſtudio & labore noſtro.
Scriptos ſignificas placere libros
Qualescunq; tuæ eruditioni.
Quod uero Bromij hanc nouo priorem

Auges munere liberalitatem,
Quo, nondum scio, pertinere dicam.
Vtrum hæc symbola debet esse cœnæ
Hesternæ? An monet? ut quod ipse rebus
Afflictis facis, id uelimus & nos
Conari facere, & leuare curas
Sedantes hilari liquore Bachi
Tristes sollicitudinum recursus,
Mœrorisq; maligna diluentes
Perturbamina poculis Lyæi.
Hoc est scilicet. Hoc profecto uerum est.
Hoc & nos imitabimur te agentem,
Aeternum precibus Deum inuocantes:
Vt solatia præbeat benigne
Inq; hoc mq; alio dolore quouis
Et tam multiplici tibi labore.
Tantum sit satis in tua esse charta
Perscriptum modo. Cætera & feret res,
Opportunum aliud magisq; tempus.

Ioachim. Camerar. T.

EIDEM.

ABs te quæ data sunt mihi legenda,
Et uir magnifice, & colende amice,
Surgens legi hodie á quiete somni.
Atq; hæc sunt noua, quis negat? sed ipsa
Personis uariata, re uetusta,
Et quæ tempore discrepant locisq;.
Nam certe est eadem libido semper,

Est

Est idemq; mali impetus furoris,
Siue hunc incitet ira seu Cupido
Sic non sunt odia inuidumq; pectus
Peruersiq; animi improbiq; mores
Mens infida, ferox, proterua, uana,
Titillansq; suauiter uoluptas,
Et luxu male perditæ atq; fastu
Vitæ elatio, comparesq; multæ
Bello, pace, domi forisq; pestes,
Et quæ nomina cunq; prauitatis,
Et quæ nomina sunt iniquitatis,
Et quæ sunt temeraria ac scelesta,
Multa & tristia, pauca læta ubiq; :
Cuncta hæc non noua sunt, sed ut fuere
Totis orbibus ante sæculorum,
Et sunt nunc, & erunt deinde semper,
Donec res hominum, huius atq; mundi
Durabit status & uicissitudo.
Nos ergo abs te eadem noua ac uetusta,
Antiqua atq; recentia hæc habemus.
Quæ grates modo agens tibi remitto,
Persuadensq; mihi benignitatis
Te seruare tuæ simul fauorem
Erga me, simul hoc & arbitrari
Obseruante animo tibi obligatum,
Adq; omne obsequium esse me paratum.
Hæc noctu uigilando cogitata
Chartæ in munere debinc tuæ exaraui.
Aequi quæ facias, precor, boniq;.

Ioachim. T.

OPTIMO ET DOCTISS.
Viro Matthiæ Garbicio
Illyrico.
S.

AVdendum est, mi Matthia, quod quidem ego subijcio formidulosus & timidus tibi. In hac tamen re hoc est opt. quod neq; difficultas tanta in= est, quantum tu mihi proponis, & honestiß. sunt co= natus, & spes præclara. Sequendum igitur tibi for= tunam censeo, quæ se Ducem ad meliora offerre & ostendere uidetur. Ego illum ipse nonnunquam lo= cum spectaui, cum inciperem de prouentu nostrorum studiorum desperare, & illorum tamen culturam urgendam persequendamq; mihi statuerem Sed mihi cum longinquitas, tum alia quædam, quæ recensere non attinet, occurrebant in his cogitationibus, qui= bus illæ facile disturbabantur. Tibi autem qui prope ades, & omnes rationes tuas explicatas habes, quid dubitationem incutiat miror. Nam illud de muneris magnitudine, nihil est. Scis quid narrari fabellæ sole= at de uulpecula, quæ ad leonis primũ conspectũ pene exanimata, non modo postea aspicere illum, sed com= pellare etiam ausa fuerit. Non ter aut quater in e= ditiorem locum conscendens, quin timor ille & solicitudo abierit. Ad Sabinum dare litteras non est uisum. Sed tu uelim in hoc negotio toto utaris Philippi Mel. consilio, uoluntatiq; obtemperes, quem tibi bene cupere etiam mea causſa scio. De illius igi= tur sententia quicquid feceris, & mihi magnopere proba=

10175786

probabitur, & à me ac si tibi autor ego fuissem, de-
fendetur. Vale.

Ioachim. Camerarius.

VILHELMO BIGOTIO S.

S. D.

BArnabas fecit inhumaniter, si fide habita ser-
monibus maleuorum nostrorum alienauit à no-
bis obtrectatione sua animum tuum, quem ego spe-
rabam discedere hinc amicissimum, multo tamen in-
humanius, si ipse commentus est ea, quæ ab alijs di-
ceret se audiuisse. Hunc quidem amicum mihi esse
nunquam putaui neq; sane optaui. Erga te uolun-
tatem pristinam conseruabo, neq; ullius improbita-
te immutari patiar. Tuq; ut similem constantiam
præstare uelis in amicitia nostra oro. Ad litteras
meas quod attinet, sic puto illas esse perscriptas, ut
qui cogitare uolet facile intelligere possit, me uerbo
uno grauissime notasse quosdam, qui te minus studue-
rint retinere, cum illos manifeste accusare non debe-
rem. Teq; uelim in illis interpretandis potius adhi-
bere tuam opinionem de me, quam alienas calumni-
as. Vide quantum mihi & mea innocentia & tua
bonitas animi addat, cum in hac commotiuncula uo-
luntatis tuæ tamen iudicio de me tuo confidere non
dubitem. De scripto quidem tuo, mi Bigoti, nihil est
quod minuas consilium tuum, mea caussa. Neq; enim
certe tanta est peruersitas mea, ut ob iustam repræ-
hensionem non gratiam potius habere, quam irasci

uelim, neq; tam sum humili animo, ut fútilem uitu-
perationem contemnere non possim. Quare si, ut
existimo, tu nos aliqua cognitione noua instruxeris,
libenter fatebimur te optime de nobis repræhensione
tua esse meritum, tantũ abest ut indignaturi simus. Si
quis uero sine caussa fuerit me insectatus, οὐ φρόνιος
ἱπποκλείδης. Nam ut bonarum artium & humani-
tatis amatores, in quorum te numero præcipuum
duco, bene de me sentire uehementer cupio, sic quid
quisq; homo natus dicat aut scribat, neq; cognoscere,
neq; refutare animus est, neq; otium suppetit. Tu, si
potes, conserua beneuolentiam erga me tuam, tibiq;
persuadeas, me semper fuisse, & nunc esse atq; etiam
posthac fore studiosiss. dignitatis ac nominis tui.
Vale.

Ioachim. Camerarius.

SIMONI GRINÆO S.

S. D.

MIrum est, ut hoc sic agam te opere tanto quæ-
sere, ut ait adolescens Plautinus: Qui ali-
ter facere nullo pacto queam, neq; uelle etiam. Ita est
meum ingenium uel timidum uel humile, uel, ut ali-
quid dicam honestius, placidũ et mite. Ego quidem mi
Grinæe, uideor mihi de nonnullo studio, quod opt.
artibus impendi ab ineunte ætate hoc consecutus, ut
ab humanitate non sim alienus. Hoc interdum mihi
sensu mediocriter ὥσπερ ἀνθρωπάριον δ'ημοτι-
κὸν placeo. Alijs concedo laudem doctrinæ, eruditi-
onis,

onis, ſapientiæ, mihi ſi amorem cupiditatemq; ha-
rum ineſſe ſentio rerum maximarum, ſatis beatus ui-
deor. ταῦτα οὖν τῇδε ὥσπερ προφοιμιάσθω.
Amico noſtro Bigotio reſcripſi. Iis litteris hunc fuiſ-
ſe offenſum, quas illi ad te perferendas tradideram,
miror. Sed ego ipſum non accuſo, quem te oro ut mea
cauſſa etiam diligere uelis. Si nominatim quoq; me
inſectaretur, conſolarer me conſcientia meæ con-
ſtantiſs. uoluntatis erga ipſum, quo minus facturus
ſum, ut incertum & obſcurum amici dictum inter-
preter contra me ſuſpicionibus indigniſſimis animo
liberali. De Entelechia, utinam aliquid ille pulcri
& belluli inuenti communicet nobiscum. Quæ ali-
quibus uel perſuaſa uel uiſa eſſent, de illa re, credo
licuit eloqui, repræhendereq; eum, qui ante Ciceroni
non pepercisſet. Neq; ego recuſo, πλὴν ὁμοίαν δί-
κην ὑπέχειν καὶ αὐτὸς, ſi mereor. Tu fac per
hanc curam animo ſis quietiſſimo. Bigotium ego di-
ligo nunc quoq; non minus quam unquam. Qui ſi
ſpreuerit noſtram amicitiam, & mutauerit uolun-
tatem erga me ſuam, nos tamen ſtudebimus conſer-
uare animum erga illum noſtrum, & non patiemur
ab eo expugnari propoſitum grauitatis & patien-
tiæ. Multorum ante quoq; iniurias & uim tacendo
fregi, neq; eſſet me quicquam hoc tempore miſerius,
niſi æquitate animi ſuſtentarer. Ita non ſolum ob
publica ſed etiam priuata affligimur. Neq; me quic-
quam fere continet & reprimit, quam conſideratio
officij & fuga leuitatis. Itaq; Deo, cui confido ope-
ram noſtram placere, hoc igitur fretus, non deſer-
turus

turus ſum locum meum, niſi forte ui deiectus. Nam ſi mea ſponte uellem cedere, eſſet ſane nonnulla commoditatis occaſio. Quæ non aliam ob cauſſam tibi ſignifico, quam ut hoc te minus pœniteat exiſtimationis de mea conſtantia & humanitate tua, quam ſcio eſſe præclaram. Deo ipſi ſpero nos noſtroſq; curæ futuros. Sed de his plus uideo me ſcripſiſſe quam debuerim, certe quam ſoleam. Venio igitur ad reliqua. In illa cauſſa cuius meminiſti nihil poteſt à me amplius dici. Atq; haud ſcio an diſputationum labor inutilis futurus ſit. Sed morem geram tuæ uoluntati. Chartæ Ptolemaicæ erunt apud nos in tuto. Tu fac operam des ut quicquid præterea abſolutum fuerit, quamprimum accipiam. De Theone explanabo tibi ſententiam meam poſthac. nunc uix hæc licuit. Vale.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

FRatris tui filius nuper hac tranſiens ſalutauit nos uerbis tuis. Fuit id quidem mihi pergratum, ſed ut uerum fatear, mirabar & ægre ferebam illum aduenisſe ſine litteris tuis. Etſi enim mihi occupationes tuæ negare officium hoc potuerunt, tamen impetrare amor erga me tuus uidetur debuiſſe. Si tamẽ neq; tu habuiſti quod nobis ſcriberes, & occupatus fuiſti, facile negotia tua te præpoſuiſſe patior minime neceſſariæ ſcriptioni litterarum ad nos tuarum: Sed ita ne moleſte feras me ad te dare noſtras more & con-

& consuetudine pristina, quæ quidem argumenta ut scis de studijs nostris plærunq; petijt. In quo si difficiliorem te præbueris, scito me nihilo secius in nostra hæresi humanitatis & officij perseueraturum, te ut confido approbante. Eo quidem magis, quo ego minus facturus sum ut te abducere nitar á proposito tuo τοῦ φιλαγιαύτερον ἡγεῖσθαι τὰ κοινὰ τῶν ἡμετέρων. Ego magnopere cupio me immergere in studia, sed ita multa cum domi tum foris uersant atq; iactant, ut plane in summo adhuc quidem fluitet cupiditas uostra. Interea tamen usu quodam καὶ τῶν πραγμάτων πείρᾳ philosophamur, quod genus congruit nonnihil cum mea natura, etsi προαιρέσει nunc quoq; admodum ad nos abducimur & uitamus splendorem atq; lucem. Sed quid hæc sibi uelint quæris. Scribere uolui omnino aliquid neq; de publicis rebus quicquam habebamus, uel etiam lubebat, hoc quidem tempore, scribere. Iocosum autem litterarum genus neq; tibi conuenire, neq; me usurpare oportere arbitrabar. Reliquum fuit hoc medium & cotidiani modi quasi familiares sermones repræsentans. Qua, si nihil aliud oblatum fuerit, etiam posthac potius utemur, quam sæpe tabellarios hinc sine nostris litteris dimittamus, præsertim quos reuersuros esse speremus. Matrem tuam tibi esse morte ereptam, etsi minime immatura, scio tibi tamen dolori esse. Sed eiusmodi est casus iste, in quo si non tua te sapientia, ipsius saltem rei natura consolari facile possit, neq; de hoc plura ad te scribenda sunt. Vale.

Ioachim. Camer.

Vincentio

VINCENTIO OPSOPOEO S.

S. D.

OHe iam satis est, ohe Obsopœe? Sæpe hoc loquebatur inter lectionem litterarum tuarum animus meus, non tamen finem faciebat epistola sæuiendi: κωφλὼ μοὶ τοι γαῖαν ἀεικίζεις μενεαίνων, istud enim hominum genus mortuum esse mundo fertur.

ἀλλὰ σὺ λῆγε χόλοιο, ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ
ὄμ σοι εὐφρονέων ἀγορήσομαι, οὐδ' ε ἔοικε,
μαινάδων πισὸν πρόπολον καὶ ἀοιδὸν ἐοντα
νηλεὲς ἦτορ ἔχειν. σχεπαὶ μὲν τε φρένες ἐσθλῶν
ὡς νῦν νῶϊ κεχόλωσ' ἀνὰ θυμὸν ἠλάσιον κῆρ,
προσφὺς μέσον ἄμ ἦπαρ ἑοῖσιν ὠμόντε βεβρώκοις
κεῖνόν γ' ὅστις σοι ἐχθρὸς ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι.
πᾶν ἔρδ' ἤνιδε γάρ ξαφαωδῶν πάυομαι ἤδη.

Quid enim aliud faciam aut scribam? ita uisus mihi uehementer commotus esse, ut ἐπ' ἀοιδῇ αἷμα κελαινὸν sistendum ducerẽ, desperans ab alijs medicamentis. Sed quid est? quid ergo est? Ita multos his tẽporib. sermones cognoui enãuisse, ut nõ uerear quid de his futurũ sit. Te autẽ nolim sic pugnare, ut in uictoria etiam tibi plus damni detur quam inimicis. At autores citantur, uel, ut ueteres locutos accepimus, laudantur præstantes uiri, Sæpe, mi Vincenti, fit ut aliquis non recte accipiat alterius uerba, sæpe etiam forte in cotidianis colloquijs multa temere dicuntur. Quid si suspiciões hæ sunt. neq; enim noster φίλωρ

recor-

recordatur se quicquam tale dixisse. Quare mi Vincenti hoc Plautinum mihi cogita, scribo enim hæc tibi cui optime uolo: Qui leniter sæuiunt sapiunt magis. Ego quidem moderationis laudem pulcerr. esse duxi & ipse amaui animo meo, & à te omnibusq; studiosis expeti uelim. Tu tamen tibi persuadeas, ita mihi caram esse famam tuam, ut quicquid feceris, dum illam tuearis, me quamuis factum forte non probare possim, tamẽ quoad liceat defensurum, tibiq; beneuolentiam & studium, quod debeo præstiturum esse. Sed si me audies quam iratus quicquam subito moliaris, non, ut ille nescio cui ex Imperatoribus ueteribus Rom. quondam fertur præcepisse, Græcorum litteras, sed illis notatas Homericas Rhapsodias omnes prius percensebis. Nam quod Glauciæ tantopere succenses, intelligo te magis hominum sermonibus quam re ulla certa commoueri. Quantum enim ego possum animaduertere, uir ille mihi & bonus, & bonarum artium studiosus uidetur esse, Qui tamen si esset aliter, non oporteret te nimis dolere uicem nostram: τί γὰρ ἐμοὶ κἀκείνοις, τοὐμὸν ἀπαρτάριον κοσμῶ, Neq; quicquam aliud curo aut moueo. In quo perseuerabo, dum quidem potero. Ergo ab illis, ut opinor, nihil nobis periculi impendet, sed peccata aliorum luimus, & quemadmodum metuo, luemus. Qua in re mihi secuto diuinam uoluntatem multo minus formidandum quam alijs. Sed de his non licet plane scribere, & obscure plura non lubet. Vale καὶ εὐθύμει. Cancellarium uestrum salutabis nostris uerbis, quem ego nihil re-

spondere

10175788

ſpondere mihi ægre ferrem, niſi mallem ſuperbum illum, quam contumelioſum experiri, ſcis enim quam iracunde inſtantibus reſpondere taciturni ſoleant. Forte etiam hoc mihi mandet, quod noſtro Bartolomæo, ut ipſe reſponſionem coram petam, quod hoc mihi tempore factu fuerit per difficile. Sed illum placide á nobis ſalutabis & commendabis Bartolomei cauſſam. Iterum uale. V I. cal. April.

Ioachim. Camer.

EIDEM.

S. D.

SI igitur ita fert animus, neq; audire uis amicum conſulentem fideliter, uel etiam prudenter: ἔρξον ὅπως ἐθέλεις. Tuum enim periculum eſt futurum. Neq; ego iam te teneo, neq; magis remoror impetum tuum. Cogita tamen nunc quoq;: ὁ σοὶ ὁ δ' ἐνὸς πόλεμος ἐξεργάζεται. Sed tibi, ut uidetur, omnia ſunt cogitata. Tuas litteras ſero accepi. Nam cum aſcripſeris diem I I I. April. Scito mihi illas Id. Iunij eſſe redditas. Cancellarij luctus morbiq; nuntio, ſum maximo, pro noſtra neceſſitudine, dolore affectus. Deum æternum oro, ut ſalutem illius tueatur. Caſum quidem ipſe mortis paternæ, pro ſua ſapientia, moderate feret. Salutabis hunc á nobis perquam officioſe. Ad Heliodorum quod attinet, ualde cupio tibi gratificari. Sed hoc tempore cum alienis tum proprijs negotijs plane diſcerpor. Inter

quæ

quæ ſunt, de quibus utinam concederetur cum Cancellario & tecum colloqui. Scribere enim tutum non eſt. In thermis fuimus uicinis. Quæ tamen non ſunt ἀυτοφυῶς θερμαὶ aquæ, ſed caleſiunt. Quæris quam opem illæ attulerint? Spei quidem oſtenderunt aliquid, opis præſentis apparet adhuc nihil. Verſiculos, quos petijſti, miſi. Quibus, ſi uidebitur, curabis deformandum libellum tuum. Quem ſi emiſeris, non perſuadebis facile omnibus id, quod ſcribis, de ſobrietate tua. Quis enim non ridet, cum illa legit Catulli? Caſtum eſſe decet pium Poëtam Ipſum, uerſiculos nihil neceſſe eſt. Et hæc Ouidiana:

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtri.

Cum oratione enim ſententiam animi congruere exiſtimatur. Sed uulgus, ut intelligo, non curas. Habes igitur quod petijſti. Vale, & me, ſicut facis, dilige.

IN LIBELLVM
Vinc. Opſopœi.

HOc uiſo Ebrietas oculo ſtillante libello,
Hæc fertur tremulo uerba locuta ſono:
Nunc minus inter ero externos deſpecta meosq;,
Cum mea iam certa pars ratione bibet.
Ante erat ille furor, Nunc eſt doctrina futura,
Nunc etiam ars animi deſipientis erit.
Quid dicam? an fieri credam potuiſſe? quod iſte
Inſanire docet cum ratione liber.
Gloria magna mea eſt. Sed & hæc quoq; magna futura
Eſt tua, uinoſæ noctis amica cohors. (Eſt

10175788

Discite ait, bona res est discere. plura uolebat
Dicere, sed dubij uox erat illa soni.
Ergo caput figens ceruice in pectore flexa,
Incertum balbo murmur ab ore dabat.
Sed, sicut quidam se percepisse putarunt,
Autori grates uisa referre fuit.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

(χεδε,

Θαρσεῖθ' ὅσσ' ἀγαθῶμ ἀνδρῶμ νούσῳ κατέ=
οἰνώδη θ' ἱλαραῖς φρεσὶ φιλεῖτε μέθω,
εἰμὲμ θυμὸς ἔνι σήθεα προφρων, δ' ώναμις δ' έ
λείπετ' ἐν ἀβληχρῷ σώματι δ' αμναμυών:
τοίης νικήτης τέχνης τάδε φάρμακα πᾶσιμ
θῆκεμ ὑμῖμ ἀδεῶς οἰνοποταζέμεναι.
μήτινα νῶῖ δείσητε μέγαμ μηροὶ ἄνδρα θρα=
σώτε.

τέχνη παῖς ἵππομ πόσομ ὁποῖ ἐλᾷ:

ΕΙΣ ΤΟ ΑΥΤΟ.

ΠΑυσίεω τέχνης ἔργομ τόδε φασὶ ψυέδη
ἄξιομ, ἐμ γραφικῆς, ὅτι μάλισα θέας:
ἧς ὕάυλα πίνουσα μέθη φιάλω ἐπέχουσα,
ἀντία φαίνεθαι ὥσε πρόσωπομ ἄπαμ,
τῆς φιάλης τ' ἐπιπροθούσης χείλεσι ἡ' ὄσοις,
εὖδηλ' εἶναι ὅμως ὡς τάδε πάντα ῥέθη.
τεχνικὸμ ὧδε γραφέμ, τίς δ' οὔφησ'; ἦμ ἄρα τ'
οὔργον,
μᾶλλομ δ' ἐν χερσὶμ τεχνικόμ δεῖ τόδε
ἡμετέ=

ἡμετέροιο φίλου νικήσαντα ἔγγραφον ἔργον,
κόσμον ἔχον μέτρων σάγηνα λον ἀονίων:
πολλὰ πιθὴν ἀβλαβῶς μετ' ἐπισήμης τεθράσσον,
ἠὲ λόγον εἰμ' ἀλόγῳ πρᾶγμα τ' ἐφορμένον.
ἔνθα περ εἰσιδέειν γε μέθεν θ' οὐ μόνον ἔσαν,
ἀλλὰ σωθῆμ' αὐτῇ εὖ καὶ ἐπισάμενος.

ἰωαχείμου καμερ.

EXIMIO IVRIS. D. BARtholomæo Amantio.

S. D.

Litteræ tuæ fecerunt, ut posthac attentione maiore sim uersaturus in scriptis ueterum. Nam nondum studiose animaduerti hanc mentionem magistratuum municipalium, de quibus quæris. Fuisse tamen in municipijs Decuriones, censores, quatuor & tres uiros: Fuisse flaminem & dictatorem aliquem de senatoribus Romanis constat. Illa enim nomina quemadmodum recordari potes, in oratione pro Cluentio Ciceronis, hæc pro Milone, extant. Neq; ignoras municipia suis legibus & morib. fuisse administrata, ut appareat suos magistratus quoq; habuisse. Sed hæc fortasse nihil ad rem. Quare de his coram ut scribis. De Odofredo habeo tibi gratias. Tibi quidē opera danda ut me excolas prudentia uestra. Insanire placet quoniam mihi. Tua uoluntas erga me constantior esse non potest, quam sit er-

10175788

ga te noſtra,& noſtram amicitiam iſta nuper offen-
ſiuncula, non ſolum non immutatam, ſed etiam au-
ctam confirmatamq; eſſe confido. Vale.

Ioachim. Camerarius.

ERVDITIONE DOCTRINÆ & virtute præſtanti Iacobo Micyllo S.

S. D.

EGgo *uero,mi* Micylle,*non ſolum eam tibi ueni-*
am do quam petis,ſed plane patior te mihi pro-
bare cauſſam recuſationis tuæ, quod eſt mihi factu
nequaquam facile, quoniam repugnat cupiditati
meæ maxime conſuetudinis noſtræ. Sed ut ante
quoq; tibi ſcripſi, non pluris facio meas ego commo-
ditates quam amicorum in petitionibus operæ illo-
rum,quam tamen á te non mihi ſed Reipub.*& opti-*
mis ſtudijs humanitatis atq; artium modo flagitaui.
Nam *quæ tu affers ad eleuandam illam, uulgariæ*
ſunt, poßimq; tibi reſpõdere,quod mulier una ait in
Comœdia: Iam *nunc times? quaſi nunquam affue-*
ris,nunquam tute pepereris multiplices fructus ſtudi
orum.Præſertim cum nõ ſolus futurus fueris,ſed ha-
biturus me, ſi quid hoc refert,ſocium & participem
laborum. Quod uero ſcribis á Grinæo meliorem
conditionem tibi latam,ita quidem credo,ſed Philip-
pi autoritatem pluris apud te futuram putabam.
Nam *ego neq; ante neq; nunc* ὡς ἀφ' ἡμῶν *quic-*

quam

quam egi, neq; sum acturus cum ullo. Sustinebo autem rem scholasticam dum potero, & quanta max. potero industria & fide. Quid de me fiat Deo permitto, & si pax erit recte spero, sin tristiora tempora nos manent, ubicunq; sim, in nullo discrimine ponendum intelligo. Sed redeo ad tuas litteras. Tibi quidem mi Micylle pro nostra ueteri noticia, uolo optoq; feliciter euenire quæ agis. Nobiscum esse non tam tua meaq; , quam bonarum artium & Reipub. caussa percuperem. Quando uero hoc à te obtineri non potest, quod est prox. fruamur nos absentes amicitia nostra, non solum in persuasione mutuæ uoluntatis, sed etiam iucundissimo officio litterarum. Tu quidem sic habeas uelim: quicquid possit effici studio, opera, assiduitate, labore meo, hoc à me semper tibi paratissimum futurum esse. Vale. Tuas litteras, quas Spiram te misisse scribis, non accepi. Velim si uideatur facias me de omnibus rebus tuis per occasionem & ocium certiorem. Iterum uale. Prid. Non Ianuarij.

Ioachim. Camer.

EIDEM.

S. D.

TVæ mihi litteræ, nescio quo tabellario afferente ad V. Id. Sextilis redditæ fuere, quibus significas meas utrasq; , de quibus sollicitus fuissem, ad te peruenisse. Hoc multis de caussis mihi gratiss. accidit. Neq; enim eiusmodi illæ sunt, ut in alienas

manus incidisse non grauiter ferre possem, & tibi diligentiam in scribendo meam significationem dedisse spero constantis illius ueteris ac singularis amoris erga te nostri. Quod scribis Tibi indicasse Micaëlum nostrum accersi me à Saxonibus, fuere quidem rumores tales qui etiam huc usq; peruenerunt, Sed quid sit rei nihil plane scio, Neq; me quicquam hinc repellit, neq; ego quæro discedere. Aduersi quidem est aliquid in solitudine potiss. & penuria χοῦ μυσικοῦ, sed ad hæc sumus iam longo tempore ἠθάδες. Non esse omnes ea cupiditate erga bonas artes atq; disciplinas, qua ego max. uellem, mihi sæpe magno est dolori. Principis liberalissimus animus dudum quorundam peccatis quasi ἐντραπείς, hoc tempore λαμπρῶς συσχέφεται, & complectitur scholasticam Rempub. Sed nostri proceres ἀμελοῦσι οὐκ οἶδ' ὅπως καὶ τοῦ πατρόντος naufragio. Inter hæc ego uarie afficior. Neq; possum aliquid concipere certæ uel spei de rebus publicis, uel imire rationis de priuata. Multa enim mi Micylle uel omnia potius gesta sunt, ne quid grauius dicam, negligenter. In his etiam ipsis insunt illa μυστηριώδη, quæ scribendo explicare non ausim. Si haberem aliquem socium uel curarum uel etiam fortunæ meæ, fortior essem. Nosti enim illud: σοὶ δ' ἐγὼ δυ ἐρχομένῳ. Sed hoc bonum mihi adhuc negatum fuit. Te quidem, aliquando leniter quasi impuli ad uoluntatem coniunctionis nostræ, sed cum tu non uidereris penitus ab illa alienus, quia tamen remittebas rem & rationem totam ad Philippi colloquium,

10175788

poſtea ſilendum mihi cenſui. Nunc ille uenturum quidem ſe ἀεί δ᾽ή ϖ᾽ φασίμ γε φάσκωμ δ᾽ οὐδ᾽ὲμ ὧμ λέγει ϖοιῶ, ut illa in Tragœdia ait. Itaq; max. tuis litteris prouocatus, ſtatui de ea re denuo tecum agere. Quid inquis ages? cum te etiam quid futurum ſit ignores. Sic quidem, mi Micylle, ut in euentum bonum (mox autem certi aliquid ſciemus) quem expectantes ita exiſtimamus: Si tibi faciendum uideatur, ut iſtinc demigres ad idem ſcilicet uitæ genus, te, niſi fortunam nobiſcum periclitari nolis, ita commode & recte hic futurum eſſe atq; alibi uſpiam gentium. De quo parcius ſcribam, quod conſilium hoc tuum eſſe non meum uelim. Nam cum tu certam ſedem ſpectes, ſi quid forte, ut ſunt humana, accidiſſet, me præſtare ſi te perpuliſſem hortatione mea par eſſet. Meum igitur hoc fuerit, ſi quid in re animaduerterem contrarium dignitati & commodis tuis, nequaquam celare, commendationem uero etiam exquirere huius conditionis, uitandum mihi propter multas cauſſas puto. Profeſſor hic linguæ Latinæ deſideratur, deſideratur & aliquis uir bonus & non indoctus qui Pœdagogio præficiatur, hæc loca uacua diutius eſſe pati non potero, neq;, ſi Deus uolet, patiar. Tu quantum poſſis in Latinis litteris declarant multa opera præclariſſ. uerſuum tuorum. Quanti autem te faciam, tu, ut confido, non ignoras, ego certe opt. mihi ſum teſtis. Quapropter quod ad iudicium & cupiditatem meam attinet, neminem omnium huic muneri præfici quam te, malim. In quo ſi uoluntas & rationes tuæ cum meis uotis congruerint

10175788

rint, nulla de re neq; prius neq; uehementius laborabo, quam de te adducendo, atq; efficiam, quod uoluerimus, aut deseram & ipse culturam quasi sterilitatis ultimæ soli. Vtinam etiam tua opera aliquem ad præfecturam Pœdagogij idoneum hominem & εὐθυγνώμονα & οἰκονομικον adipiscamur. ἀλλὰ τοῦτο δ' εὑτεξον ἄν πράξαιμεν. Nunc tibi quid faciendum sit statues, & quid á me fieri uelis perscribes. Vale.

Ioachim. Camer.

EIDEM.

S. D.

PHilippus Mel. relicto incredibili desiderio nobis sui, reductus semel, iterum plane discessit Id. Octobris. Et si qua uolo, & quam meretur opt. uir, fortuna itineris est usus, hoc est prospera & felice, iam apud suos illum esse oportet. Nostram Remp. informauit salutaribus consilijs & monitionibus, de qua aliter scilicet facere non possumus, quam ut optime speremus. Itaq; facimus & tuas litteras cupidissime expectamus. Omnino sic se res dare uidentur ut stabilem & confirmatam scholam habituros nos appareat. Reliqua sunt ἐξωτερικὰ: euentus pacis atq; bellorum. Sic quidẽ ut ubicũq; simus in periculo futuri esse uideamur. Cui enim obsecro genti, ordini, generi hominum non impendere aliquid quasi fatalis mali existimandum? Cui unquam tempori plura uatum carmina quasi consonare accepimus? Sed nos de com-

de communi ſorte ſingularem in modum ſollicitos eſ-
ſe indignum fortaſſe uideatur propoſito conſtantiæ
noſtræ, ab hac doctrina & hoc uſu opt. artium atq;
diſciplinarum collectæ & acquiſitæ. Quod igitur
proprie noſtra intereſt, & quo neglecto prudentiæ
opinio amittenda ſit, illud ſpectemus. Quale ego in
hac re, de qua loquor, ſpem & exiſtimationem de
ſcholaſtica Repub. eſſe iudico. Quæ cum ſit non ma-
la, ac potius eximia, quin cætera permittamus Deo,
& hanc capeſſamus, cauſſa nulla uidetur eſſe. Ego
quidem ſic cenſeo. Tua uero ſi aliter ratio eſt, facias
me uelim certiorem. Quin quidem mecum libenter
futurus ſis, ſi huc ſtatueris tibi proficiſcendum, non
dubito. Quid autem maxime placeat, & quid facien-
dum tibi exiſtimes, quid á me fieri uelis, cum primum
poteris, mihi ſignificabis litteris tuis. His ſcriptis
cum quidem in uehementibus & illis Tragicis dolo-
ribus pedis iaceremus, ſignificatum mihi eſt, Ratio-
nem noſtræ ſcholæ, adminiſtrandæ præſcriptam ab
Illuſtriſs. noſtro Principe, & iuſſam atq; impera-
tam, ad conſilium publicum eſſe miſſam, quod expe-
ctatiſs. tandem accidit. Mihi quidem hoc uel max.
uel unicum cordi eſt ut opt. ſtudia humanitatis quæ
oppugnantur tantis imperitorum ubiq; gentium co-
pijs, defendantur atq; conſeruentur. In quo ego tan-
quam unus gregarius miles fortiſs. elaborabo. Sed
eſt copijs & uiribus maioribus opus, ad reſiſtendum
peruerſitati plurimorum. Vale. VIII. Cal. Nou.

Ioachim. Camerarius.

10175786

VIRTVTE ET DOCTRINA præſt. Viro Antonio Nigro amico ſuo ſingulari.

S. D.

Poſt diuturnam ignorationem rerum tuarum, nuper mi Niger, reſciui nonnihil ex Megabacchо ueteri amico, de te ſtudijsq; tuis. Me quidem, ſi quid diligenti & aßidua ſciſcitatione cognoſci poſſet, nihil fugeret iampridem. Ita & oratione & animo meo nunquam non requiſiui certi aliquid de uita, inſtitutis, fortuna tua. Sed hæc prima fama ad nos peruenit, gratior etiam autoris nomine. Quem proxime uidimus in comitatu Heßiaco florentem honore & dignitate. Auxit læticiam meam, quod non ſolum nuntiabatur aliquid minime dubium, ſed etiam læta de te omnia. Ego aliquot miſi litteras Lipſiam & in Heßiam, ubi forte eſſe dicereris, ſed ad te perlatas eſſe non arbitror. Nos modo Sueuis commigrauimus λιπόντες πατρίδα, propemodum γαῖαν, cupiditate reuertendi ad culturam quandam ſoli Muſici, cui, quamuis illic neq; aliorum ſtudia neq; otium meum infelicißime reſponderet, tamen inuitatus quaſi ad lautiores epulas pauliſper, ab illis tenuioribus abſtrahi me & adhiberi ad ampliuſculam ſpem, non grauate paſſus ſum. De qua quidem quid futurum ſit, nunc quoq; in dubio eſt. Nos certe, quo minus uulgo noſtræ litteræ amantur atq; in precio ſunt, eo uehementius miſericordia illarum & cura tangimur. Micyllus noſter Eitelpergæ nunc

gæ nunc hæc placida ſtudia humanitatis auget ille quidem atq; ornat, ſed interea tamen ad alia quædam fertur aſpirare, in quo propoſito animaduerto magnam illi dimicationem ineundam eſſe. Eobanus, qui, ut ſcis, niſi fallor, Erphordiam redierat, ab Heſſorum Principe honorifice & liberaliter inuitatur, cui ſingularis principis uoluntatem inprimis gratulor. Cordum amiſimus quod nuper adeo reſciui ingenti cum dolore: Quem & Epitaphijs ſum teſtatus, quæ tibi miſi, ut ſeruarem antiquum morem communicationis ſtudiorum noſtrorum. Te uarie iactatum tandem in Italiam peruenisſe gaudeo, unde tu curſus longi atq; incerti portum iam proſpicere poteris. In qua re, mi cariß. Niger, ſi non eſt moleſtum ſignifices nobis conſilium tuum. Sinapius ad nos uocatus ceſſat, ut audio. Forte Italicam opulentiam cum noſtra paupertate commutare non uult, & ſapit profecto. Vtinam ferret ratio atq; fortuna rerum tuarum, ut uel una, uel prope eſſe poſſemus. Gratiß. certe hoc mih, ſed ne tibi quidem, ut opinor, contrarium futurum ſit. Ego cum muliere pluſculis liberis grauiter applicor, ubicunq; forte hæſi, quod facile potes cogitare. Etiam ualetudine utor aliquot annis aduerſa, & iam in thermas cogitabam, & libenter ac ſtudioſe de hac re diſputaui cum Megabaccho noſtro. Has litteras per Noricos mercatores ſtuduimus ad te perferri. Tu ſi quid remittere uolueris dabis operam ut illæ nobis inſcriptæ ad Caſparem Nutzelium ſenatorem Noribergenſem perferantur.

Micyllus

Eobanus

Cordus

Sinapius

10175786

rantur. Vale. Tubingæ Cal. Iunij Anno Christi M. D. XXXVI.

Ioachim. Camerraius.

NOBILITATE GENERIS equestris antiqua, & virtute atq; humanitate præstanti D. Georgio Fortz ad Pœstum, amico veteri & obseruando S.

S. D.

Significatum mihi est iam accincto ad iter Lipsiæ, & profecturo in patriam: Te esse questum de quibusdam sermonibus meis, & doluisse uicem meam, quasi defecissem á caussa, & tamen amanter locutum esse de me, & mortem filij tui iussisse mihi nuntiari. Ego, *uir opt. & humanissime & uera nobilitate celebris, morte filij tui de quo spem me etiam autore concepisses ex eo te aliquando uoluptatem esse percepturum, te dolore affici non dubito, sed scio te eum esse qui & moderari possit luctui suo, & unde petenda sit efficax consolatio minime ignoret. Præsertim cum quid opt. sit nostro arbitrio statui non oporteat. Hæc autem significatio declarat te communicando mecum dolorem tuum, affectionem amici mihi tribui iudicio tuo. Quod autem fuere qui alienare animũ tuum á me conarentur, cũ ægre tuli, tum agnoui uel huius ætatis malitiam, uel infortunium meum. Nam quod de mutata sententia & uoluntate mea, ad te est delatum, confido teipsum melius*

melius de me ſentire, & de tam longo uſu me eſſe tibi notiorem, quam ut me inconſtantiæ condemnes, de maleuolorum obtrectationibus. Etſi enim cum ad me reſpicio, haud alius mihi meipſo imbecillior uidetur, tamen in hac parte ſpero me hactenus ea conſtantia fuiſſe, ut bonus uir nos iure repræhendere poßit nemo. Sed ſi uehementiam & ſæuitiam & interdum furorem nonnullorum ſignifico mihi diſpliacere, ſiq; pia & utilia ſtudia quorundam pluris facio, quam aliorum non neceſſarias contentiones, par fuerit ueniam mihi dari, qui & religionis ueritatem facio plurimi, & inſolentiam confidentiamq; elati animi probaui nunquam. Ad hæc uociferentur qui uelint, & machinentur quæ uelint, Ego in recta conſcientia, & ſpe miſericordiæ æterni Dei nihilominus acquieſcam. Eſt infinita petulantia quorundam, qui quaſi metuant ne aliquando commotæ turbæ conſileſcant, ita omnia quæ ualent ad miſcenda diuina, ut dicitur, cum humanis comminiſcuntur, experiunturq; . Atq; prætexunt ad uulgus ſpeciẽ luculentã libertatis, & obtrectant aliorũ dictis & factis, interpretantes hæc in deterius, & corrũpentes male narrando omnia, et damnantes eos á quib. alienari ceperunt, audaciß. Cætera Deo iudici permittenda ſunt. Meum munus quale ſit, non eſt obſcurum. Eo fungor ſedulo, neq; alienas tractationes inuado. & concedi tamen mihi oportere arbitror, ut quæ recte aut ſecus geri uideantur de ijs pro meo captu in hanc uel illam partem diſſeram. Quod tamen aut non facio omnino,

omnino, aut facio quam parciſsime. De te uero ego ne loqui auſim inclementer? cuius ſæpenumero pietatem uirtutemq; prædicaui. Qua de cauſſa uero hoc facerem? Nam & te eſſe iudico eum nunc quoq;, qui mihi abhinc annis triginta duobus cognitus es, & cum uitiorum in me ſit multum, hoc certe non eſt, ut abſentibus maledicam. Quid uero hoc uel mihi prodeſſet uel tibi noceret? ut nihil iſto facto niſi peruerſitas ingenij demonſtraretur. cuius condemnari me iudicio tuo, minime puto. Ac me piget plus uerborum defendendi mei cauſſa facere, præſertim, cum mihi & oſtenſum & omnino perſuaſum ſit, te fidem non habere neq; aures præbere talibus, ut ita loquar, nugigerulis. In quo ut perſeueres, utq; beneuolentiam erga me tuam conſerues: te etiam atq; etiam oro. Ego, etſi tenuitas operæ meæ abs te non requiritur, inſeruire tamen cupio, uoluntati tuæ, & quibuſcunq; rebus potero declarare, me eſſe ſtudioſiſsimum nominis tui. Vale. Has litteras miſi ad fratrem tuum Pabepergam, cum ueniſſem huc comes Philippi Mel. accerſiti propter certamina quædam de dogmate Oſiandri. Exiſtimo autem me intra octiduum in patriam eſſe uenturum. Iterum uale. Norimbergæ cal. Septemb. Anno Chriſti M. D. L V.

Ioachim. Camer.

DIGNITATE VIRTVTEQVE
& eruditione doctrinæ præſtanti D. Iohanni
Stigelio viro opt. amico S. S.

Respon-

S. D.

*RE*ſponderam litteris tuis quas Megeſſanus nuper neceſſarius tuus attulit, cũ quidẽ admodũ adhuc à morbo languerem. Laboraueram enim ἐνεκρίσθη ἐξασιπελατώδη. Id quod iam aliquoties mihi accidit. Sed ſeneſcentibus corporibus mala morborum magis infenſa ſunt. Ille uero tuus non redijt ad me, ut conuenerat. Itaq; eſt factum, litteras eas ut non acceperis. Cauſſam quidem ipſius, quod potui commendaui noſtris, & ſpero hoc ei profuiſſe. Idq; tibi tum ſignificaui. De cæteris aſperſeram quædam fortaſsis aſperiora, ut eas litteras te non accepiſſe minus feram moleſte. Quod enim aſcripſeras, te hoc agere ut moderareris ueſtro nouo collegæ & amico, deſertori & oppugnatori priorum, id nonnihil me commouerat. Deſinat ille, mi Stigeli, furere, & declaret ſe pœnitere obtrectationum, & hoſtilis impreſsionis in noſtros, quos euertere calumnijs mendaciorum & alijs omnibus malis artibus conatus eſt, cum ne mortuorum quidem opt. & ſanctiſs. uirorum fămæ parceret. Hoc cum fecerit, tum credam poſſe eum in uitam reduci. Abſq; quo fuerit, tibi opt. uiro diligenter uidendum cenſeo, ne negotijs aliquibus impliceris alienis tua pietate & uirtute. Quid uero ille facere poteſt amplius? Celum ut dicitur terræ miſcuerunt, Eccleſiarum perturbationem confuſione Reipub. cumularunt, neq; compeſcunt rabioſos clamores ne nunc quidem. Sed inquis, uereri te, ne quis deinde maiora ἀναρρήξη κακὰ ſecundum Sophoclem. Ille uero quisquis fuerit, ὁποῖα χρὴ ξυγγνώτω,

10175786

ἐκγνύτω, *ſecundum eundem* Poëtam, *aliquando enim apparebit & admittetur etiam ueritas. Sed de his rectius colloqui potuiſſemus, ſi ad nos ueniſſes, quam ſpem fecerat nobis quidam iam, ut ferebatur, affinis tuus, eaq; nos magno cum dolore eſt fruſtrata. Te ualere cum tuis quam rectiß. opto. Vale.* IX. *cal.* VIIIbr.

Ioachim. Camer.

EIDEM.

S. D.

NON *ſolum occupationes multiplices & permoleſtæ in cauſſa fuerunt quo minus reſponderim hactenus litteris tuis iucundiſſimis, atq; gratias egerim tuæ humanitati qua meos & proficiſcentes & reuertentes complexus es ſingulari, ſed defuit etiam opportunitas tabellarij. Quæ autem utrunque noſtrum, & alios præterea complures uiros non malos neq; alienos à ſtudio ueræ religionis, ualde perturbant de ijs quid poteſt ſcribi? Vincit enim immanitas odij & iſtius* ζήλου ἀζήλου, *omnem omnium facultatem rationis & conſilij. Edita iam ſunt noua mendacia, quæ ſuo iudicio tanquam ſorex conuincuntur & pereunt. Interea communes hoſtes quales impreßiones faciunt? Quanta autem eſt miſeria? cum poteſt hoc exprobrari:*

ὦδ' ἐμόγκσαμ
ἐλπίδ' ἐς, ὡς ἐχθρῶμ συμμαχίαμ καλέσαι.

Veſtra.

10175786

Vestratium autem quorundam scripta publicantur, quibus contra nostros implorarint opem & auxilium eorum, quos non satis acriter oppugnari tam inuidiose queruntur. Quapropter, mi cariß. Stigeli, ista missa faciamus, &, quod ante quoq; etiam scripsi, colamus pietatem & nostra studia, οἱ δ' ἐς μαχέσθων. Etsi sane est hoc graue quod tanquam νυκτομαχοῦντες neq; suos neq; aduersarios quidam agnoscunt. Quod de quibusdam rumusculis scripsisti, quæso te ne credas, Mihi ad talia in animo semper est Plautinum hoc:

Homines qui gestant quiq; auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.

Quam κατάκρισιν par est nos uitare. Meus gener heri discessit, perconctaturus á principe, quo die liceat nuptias coniungi. Hæc seruitus alijs fortasse esset grata, me autem non delectat. Ea quidem est fortuna atq; conditio utriusq; nostrum, ut quasi ἐν παραβύσῳ rem cogitemus peragere, id est, sine inuitationis & pompæ apparatu, ut ne Mel. quidem summum nostrum uocaturi esse uideamur. Te mi cariß. Stigeli merito tuo amo & magnifacio, & á te me ac meos diligi non dubito. Vale. Lipſ. XV. cal. Iunij.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

10175788

Ad tuarum litterarum initium uenit in mentem mihi uersuum Euripidis, ἐσὶμ οὖ σιγή λόγου χρείσσων ϕύοιτ' ἄμ, ὅτὶ δ' οὖ σιγᾶς λόγος. Hæc igitur tempora distinguamus & seruemus. Quid autem εἴγε ϕὴν λόγοις πείσειμ δ' ωὠήσαυτό τις μηδ' ἐμ ὧμ λέγει, secundum Sophoclis Neoptolemum, quid ille inquam agat potius, quam ut sileat? Idem igitur & ego studeo σιγῶ μᾶλλὸν ἀσκεῖν σώφρονα, ad homines, πρὸς δ' ἐ τὸμ θεὸμ ἐυχέως τὰς οἵασδ' ἥποτ' οὖμ προσευχάς, & illi ita permitto cætera. Atq; hactenus περφροιμιάδω ὑμῖν. Litteræ una cum meis missæ sunt traditæ in manum, affini tuo Lotero, afferente meo filio. Dictum illi est, si rescribere uellet, ut mihi mitteret litteras. Sed nihil misit. Ex tuo dolore magnum dolorem accipio. non modo quia amicum te cognoui omni tempore constantem & uerum, sed quia ipse in hoc genere perturbationes graues sæpe sensi, cum antea τῦ modo νοσονομυμένης τῆς ἐμῆς γυναικός χρόνον χεδ' ὸμ δ' εκάμιωσμ. Etsi, Christo gratia, sperabatur iam morbi uel liberatio uel mitigatio. Quod ut idem apud te eueniat, imploro filium Dei σωτῆρα generis humani Dominum nostrum Iesum Christum. Neq; officij aliquid possum prætereà præstare. Quod si possim, non passurus sim requiri studium: diligentiamq; & fidem meam. De cuius leuitate ascribis in litteris tuis ὡς περιεργαζομένω πολλὰ, nihil noui nuntias. Sciui iampridem illum esse talem ἄνδρα κρόταλον, δ' εινὸν σισύφω γένυ, itaq; consuetudinem ipsius uitaui. In quo perseuero.

10175786

ſeuero. Neq; commercij cum eo mihi quicquam eſſe uelim. Te una cum domo tua uniuerſa commendo benignitati propitij Dei. Vale. Mei te ſalutant. Iterum uale.

Ioachim. Camerarius.

EIDEM.

S. D.

IN magnis doloribus & grauiß. perturbatione animi ob publicas calamitates quas importunitate quorundam augeri animaduerto, interq; curas etiam non leues priuatorum negotiorum, operis tamen ſcholaſticis pro mea parte dandis officium meum facio. Et nuper quamuis frigere ſtudia iſta cernerem, tamen gratificans noſtræ communitati eius doctrinæ in qua explicanda interdum uerſor tractatum σωεκεφαλαιωσάμην *& ad eam formam redegi qua nunc fere exponuntur illa de quibus conſuetudine ſcholaſtica quæri diſputariq; ſolet, cumq; eſſent his forte diebus iſta expreſſa putaui tibi mittenda, & horum ſtudiorum & mei amantiß. Quod ſi abeſſes propius inuitarem te etiam ad* συζήτησιν *dignam ijs artibus, quas profitemur liberalis diſciplinæ & humanitatis. A qua alteri alicui alieno & gaudenti prælijs atq; acerbitate contentionum ego quidem cedens, hoc modo tanquam aui pugnaci quod ille apud Ariſtophanem, dicerem:* εἰ μάχιμος εἶ εἰς τἀπὶ Θρᾴκης ἀποπέτου πᾶκῆ μάχου. *Vale mi cariß. Stigeli, & beneuolentiam erge me tuam*

10175786

ut facis conſerua. Lipſ. X. calen. April. Anno M. D. L X I.

Ioachim. Camerarius.

MAGNIFICO VIRO D. GEorgio Sigiſmundo Seldio &c. Domino ſuo colendo.

S. D.

INgentem dolorem mihi attulit triſtiſsimus caſus mortis Philippi Melanchthonis, qui feliciſsimo ille quidem ſibi fine, ſed luctuoſo nobis diſceſsit XIII. Calend. Maij, uiribus corporis deficientibus tandem, poſt maximos labores, & perpetuas curarum uariarum moleſtias, cum mens ad extremum halitum integerrima permaneret. Fuit inter nos ueræ & inuiolatæ amicitiæ neceſsitudo annis totis XLI. Itaq; mihi conſuetudo talis amici erepta non potuit non eiuſmodi deſiderium relinquere, quo grauiſsime excruciari animum neceſſe eſſet. Etſi profecto uehementius angor, detrimento publico, & formidine eorum euentuum, quos impendere uereor, uel plane cerno. Ea enim negotia contracta ſunt, & eiusmodi ſuſceptæ actiones, & indies talia quædam mouentur, quæ talis uiri, qualis ille fuit, gubernationem moderationemq; inprimis requirere uidentur. Et eſt ille ante oculos Maronis ſpumeus amnis, qui ruptis aggeribus, fertur in arua furens. Sed fortaſſe ego ſum timidior, & erunt omnia meliora. Velim ita ſit. Neq; ego de his iam plura ſcribam. Nunc uero quodam

quodam libello, à me compoſito, ſane edito negligentius, placuit ſummo noſtro Cl. V. D. Franciſco Crammæ, illum tuæ Vir magnifice humaniſſimæ Præſtantiæ mitti. Idq; feci emendatis præcipuis locis expreßione deprauatis. Peto autem ab eximia uirtute ſapientiaq; & humanitate tua, ut & interpellationem hanc litterarum mearum & ſtudium iſtud meum boni conſulas. Te quam opt. ualere precor. Vale. Lipſiæ prid. Non. Maij. Anno M. D. LV.

Magnif. tuæ addictiß.
Ioachim. Camerarius.

IOACHIM. CAMER. CRISPO S.

CArminis Aufidij autorem laudare ſuetus
Criſpe, ſed inprimis Satyram quæ tertia primo
In libro legitur, mecum, at non undiq; ſentis. (tum
Nam quod acutum hunc & doctum, atq; fuiſſe facetum
Dicis, & Auſonia cithara mutare Pelasgam,
Præterea et quæ ſic memoras, mecum omnia prorſus
Et faciunt, & ſunt titulis digniſſima claris.
Sed quod in ijs, quos tu mirare & laudibus effers
Verſibus in celum, ille bonum diuellit & æquum,
Eripit & iuſtum naturæ, ut opinio fingat
Iura hominum & leges, norma utilitatis adæquans:
Quamuis conetur belle concludere, eos dum
Feſtiue exagitat, quos nomine Porticus auget:
Non probat hic mihi: Socraticas cognoſcere cartas

Qui ſtudui intra Academaicamq; quieſcere ſiluam.
Et ſpacia accedens interdum intrare Lycei.
Sed propius Flacci uideamus dogma, Epicuri
Ex atomis conflatum. Eſt iuſti mater & æqui
Vtilitas prope, & iniuſti fateare metu, inquit,
Si ſpectes hominum res, Iura inuenta, neceſſe eſt.
Quo pacto? Quia enim iuſto ſecernere iniquum
Haud natura poteſt. Eſt ergo pro arbitrio res
Quælibet, ut ſe forte dedit, cuiusq;, uel æqua,
Vel mutato animo, ſi ſic uideatur, iniqua.
Quid ni? dixerit hæc aliquis defendere forſan
Conatus. Cum iura oculos diuerſa tot ante
Sint noſtros, uarie & leges. Seu tempora ſpectes
Seu loca, quæ inter ſe pugnant. Ergo hoc ualet, iſta
Quæ gens aut ætas probat: Haud ualet, illa itidem
quod
Improbat. Ipſa hominum quoties ſententia mutat
Arreptum prius? Ex uitijs oſtendere quæ ſit
Virtus, & Rectum ex habitu decernere praui,
Inſtituis male tu, qui nobis talia narras.
An quoniam in ſiluis detorta & putrida ligna
Multa iacent, ideo naſcens nulla ardua ſurgit,
Et uiridis lætis generatur frondibus arbor?
Aut, quia terearum morbi graſſantur in orbe,
Natura in tota nihil eſt, quod dicere ſanum
Poßimus? Res ſic peruertitur, error & inde
Exiſtit, qui iudicium corrumpit, & ipſam
In mente accenſam diuino numine lucem
Extinguit, denſa aut ſaltem caligine fuſcans
Splendorem haud animo patitur diffundere puro.

Quid

Quid uerum, rectum, laudabile, quid ſit honeſtum,
Quæramus. Quod per ſeſe conſiſtit, & ipſa
Natura firmum eſt, & ui mutabile nulla.
Idq; bonum ipſum eſt. Nec ſe diuelli ſinit unquam
A recto, atq; alijs quæ commemorauimus ante:
Aut celum ruat, & ſublimis concidat æther,
Et totum uertat mundi fortuna tenorem.
Hoc igitur quæramus, & amplectendo colamus,
Nec non omnia huic contraria deteſtemur:
Falſaq;, turpiaq; & praua & deformia quæ ſunt.
Angulus ut normæ eſt æterno tempore rectus,
Et quanquam hinc obtuſus & illinc abſtet acutus,
Natura tamen ille ſua conſtat ſibi ſemper,
Nec ſpacium hunc æui uarians nec opinio mutat,
Perpetuo inq; locis cunctis directio normæ
Permanet, & nullo obliquamine detorquetur:
Cum circũ hanc numero nullo cõpræhendere poßis,
Quam multa in partem ſint declinamina utramq;:
Hac ratione etiam Ius ſeſe nititur ipſum,
Firmaq; & immota eſt ſanctarum edictio legum,
Quarum diuinæ eſt certißima regula mentis.
Quod ſi decreta & conſulta & ſcita recedunt
Inde aliqua, haud ideo iuſtum mutatur & æquum,
Etſi hæc contra infert iniuſtum ſeſe & iniquum,
Solis ut aduerſus fulgentia lumina nubes. (dus
Non ego quid ſtatuat Scytha, quid uel Perſa uel In-
Natio quid probet Aethiopũ, aut Germania ſeruet,
Auſoniæ aut laudet populus nunc incola terræ:
Legitimus ſit in Aegypto qui coniugij mos,
Effœtis faciat patribus quid neſcio quæ gens,

10175786

Sint ne Lycurge tua, an meliora ſtatuta Solonis:
Aut quæro aut moror. Hoc unum curæ eſt mihi:
Quid ſit
Semper idem maneatq; ſuum & conſeruet ubiq;
Inuariatum habitum. Hoc eſt Ius, eſt hæc itidem lex.
Hoc æquumq; bonũq;. Hoc pulcrum eſt atq; decorũ,
Vtile idem reuera. Huius cœleſtis origo.
Cætera, in hoc mundo, uana atq; incerta feruntur
Vndarum ritu incurrentia fluctiuagarum,
Siue procelloſi uolitantia turbine flatus.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ac Domino D. Ioachimo Principi Anhaldino, &c. Principi & Domino ſuo clementiſsimo.

S. D.

QVæ ſunt à tua Illuſtriß. Cl. mihi miſſa ut legerem, ea magna triſtitia affecerunt animum meum. Etſi ego quidem nihil expectaui mollius. Quid enim facerent aliud ij, qui & natura impelluntur & uoluntatem accommodant, ut tumultuentur & turbas dent. Ab horum furioſa audacia & impudentia ſcelerata nihil eſt tutum. Malitia & mendacijs deprauãt omnia. Res, negotia, perſonas, tempora confundunt, captant atq; excerpunt particulas actionum, & uoculas diſputationum, & deinde declamitando & exagitando omnia ad uulgus (cui maledicta & ſeditioſæ conciones gratæ ſunt) occupant multitudinis ſtudia, & uerbis mirificis ignotarum

ignotarum & inexplicatarum rerum quasi incantant homines, ut postea quicquid dicatur, audientiam non reperiat. Eo quidem minus, quo magis potentes quidam hoc genus hominum fouent. Meminisse potest illustr. Cl. tua quæ sententia mea fuerit de narratione simplice. Neq; ego spero posse sæuis & turbulentis ingenijs satisfieri, ulla disputatione aut expositione, sed ad posteros, quorum sinceriora erunt iudicia, fortasse hoc prodesset. Verum propemodum eo delabor, ut opt. esse silentium putem, quia sit tutissimum. Nihil enim muniri nunc quidem satis potest neq; remedium inueniri ullum, contra morsus & ictus sycophantarum & calumniatorũ, præsertim prætexentibus illis specioſa nomina Ecclesiæ & Religionis, & admittentibus hæc plurimis cupide & libenter. Dolere igitur licet, & in dolore se quenq; consolari testimonio rectæ conscientiæ, & custodia officij, & orare Deum ut misereatur nostri. Præterea quid fieri debeat aut recte possit hoc rerum statu & temporum atq; hominum conditione non uideo. T. Ill. Cl. quam felicissime uiuere & optime ualere precor. Plura autem de illis rebus scribenda non putaui. Reuerendissima & illustrissima atq; sanctissima memoria nominis Illustriss. Prin. Georgij cultum perpetuo uenerationemq; retinebit apud bonos omnes. Cæterorum etiam ora aliquando obturabit potentior & gratior hominibus ueritas. Illustiss. Cl. tua & fauorem erga me suum conseruet, submisse peto. Remitto bona

10175788

fide ea quæ accepi. T. Illustriß. Cl. bene ualeat. Vale. Lipsiæ XVI. die Martij.

Illustriß. Clæm. T.
subiectiß. addictus
Ioachim. Camerarius.

IOACHIM. CAMERARIVS Christophoro Scheurlæ S.

S. D.

QVamuis publica priuataq; negotia, te, mi Christophore, occupatum tenerent, expertus tamen sum, quoties istuc ueni, incredibile studium tuum, in omni genere officiorũ mihi præstando. Inprimis autem gratum iucundumq; fuit, quod crebro me accessisti, & cum alijs de rebus, tum de nostris studijs, mecum es collocutus. Ex quo facile apparet, & quantopere me diligas, & quam præclare sentias de erudita doctrina, cui indies sæculum hoc iniquius fieri animaduertitur. De institutione quidem pueritiæ, uel adolescentiæ etiam uestræ, consultationes scilicet euanuerunt. Id quod mea quidem caussa æquo animo fero, Sed retineo tamen sententiam, & honestatis & utilitatis: Quæ capita omnes deliberationes confirmare solent. Neq; in hac me falli existimo. Cum quidem aliorum quoq; rationes improbandas reprehendendasq; esse non putem. Sed de his satis. Orthographicam doctrinam abs te mihi nuper expositam considerauí diligentius. Eamq;, ut non

non prorſus ἀθεώρητον eſſe, ſic non firmo fundamento niti perſpexi. Itaq; hanc pro noſtra neceſſitudine explicandam tibi duxi. Quod facere in re nota, mihi eſſet in promtu. Primum igitur ſcies, ueritatem ſcribendi pertinere ad pronunciationis ueritatem. Propterea enim aliquid ſcribendo exaratur, ut pronuncietur legendo. Et ideo falſæ prauæq; ſunt ſcriptiones tales: Perlego, adſciſco, adleuo, adſum, conrector, adludo, adcurro, adfigo, adnuo, & ſimiles. Quoniam igitur utraq; ratio coniuncta eſt: Quæ de copulandis litteris, ut ſyllabæ fiant, traduntur, eadem lectionem inſtruunt. Atque docent Græci: Eas ſemper compræhendi litteras debere, quarum ſyllabæ initio dictionum reperiantur. Sed hoc præceptum, quemadmodum generalia omnia, exceptionem aliquam admittit. Sicut & hoc: Conſonantem inter duas uocales, coniungendam cum ſequente. Non enim hoc ſeruari interdum natura uerborum patitur, propter uel compoſitionem, uel originem & deriuationem. Etſi Herodianus, quemadmodum Priſcianus indicat, cenſuit has complexioni litterarum obſtare non debere. Cui nos aſſentiri, in ſermone præſertim Latino, non eſt neceſſe. Græci quidem magis ſoliti fuerunt complecti conſonantes, quam Latini. Qui Græcas conſonantes dirimentes ſæpe interpoſuere uocales. Vt in Alcumena, Aeſculapio. Sed cur non & in Græcis dictionibus ſeruanda ſit in ijs quoq; quæ compoſita ſaltem ſunt ueritas? Vt ſignificationes diſtinguantur. Aliud enim eſt ἐπιδόντα, ſi ι cum π complectaris aut non complectaris.

plectaris. Et non idem significat ἀνάλωτ@, si separetur α initij ab v sequente, &, si non separetur. In nomine proprio senis Troiani οὐναλέγωμ, ratio compositionis non patitur, ut ν cum α complectamur. Iam diuersum certe est πρὸ, σαθεὶς. & προς, ταθεὶς. Itemq; ἐν, τίσω. Et ἐ, ντίσω. Nec non ἐν, πείνατε. & ἐ, ντείνατε. Sed nos Latina uideamus, & quidem exemplis rem declarando, ita enim illa facile poterit intelligi. Quæratur igitur de pronuntiando scribendoq; exemplis propositis, sed prius expositis præceptis. Quorum sit primum: Quæ litteræ in principio dictionum compræhendi solent, eædem syllabam efficere possunt etiam in medio. Secundum: In quam consonantem desinit ultima syllaba, ea quamuis potest syllabam finire. Tertium: Consonans inter duas uocales posita compræhendere uult sequentem. Quartum: Duæ eædem consonantes non compræhenduntur pronuntiando. Versus est Virgilianus:

O pa, ter o ho, mi, num di, uumq; æ, terna po,
teſtas.

Scribo di, uum. Est enim, uulnus.

Ne, scia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sub, lata secundis.

Scribo Ne, scia. Est enim scio. Et sub, lata. ut intergrasit præpositio. Sicut In, eo. In, auro. ad, olescens. in, opia. ex, itus. circum, ago. circum, eo. amb, ad, edo. Nihil obstante Herodiani supra indicata doctrina. Sic per, ago. sub, igo. per, eo. per, iturus. trans, eo. ob, œdio. Scribo: fac, tis. dic, tis. Sanc,

tus.

tus. Nos, ter. uos, ter. & ues, ter. De, ſpicio. Au, ſpex. & ſimilia. Verum eſt pro, ſterno. Et dis, tra-ho. dis, tribuo. dis, puto. Sic, ut. Itemq;, ut puto, reg, num. mag, nus. pug, na. ſig, num. dig, nus. ſtag, num. Quamuis ſit gnauus. In iſtis enim g nota eſt originis. Profec, tus. rec, tus. lactes. lac, to. pac, tum. Itẽ quæſ, tor. Eſt enim quæſitor. Priſcianus probat græciſſantem complexionem litterarum. S T. in ſim-plicibus. Scribit igitur teſtis. Itemq; Sp. ut pro, ſper. Sed mihi originis terminationes hæ omnes uiden-tur : tus. tas. ter. per. cum. trum. Itaq; præceden-tes conſonantes cum his non cenſeo compræhendi o-portere. Vt uenuſtus. maieſtas. poteſtas. magiſter. miniſter. ſiniſter. pauper. qui eſt quaſi pauiper, id eſt πωχός. Publicum quaſi populicum. Et ab Afro Africa. Itaq; eſt ruſ, ticus ſicut urbicus. Nam illud ἄνθ' ὧν φείνης futile eſt. Monſtrum á monendo ducit Cicero. Priſciano mon, ſtrans probatur. Mihi uide-tur recte ſcribi mons, trum. Sicut uitrum. raſ, tri, mulc, tra, dex, tra. ſiniſ, tra. magis, tri. itemq; caſ, tra, fruſ, tra. luſ, trum. Atq; ideo non male ſcribi puto: uaſ, tus. mœſ. tus. caſ, tus. fauſ, tus. infeſ, tus. Et ſimilia. faſ, tigium. faſ, tidium. faſ, cino, quamuis á Græco aliqui hoc uerbum ducant. Teſ, qua, præ, ſtigiæ autem, quia eſt præ, ſtinguo. Vt maxime pla-ceat, ſecundum Priſcianum, ſcribi : te, ſtem. ſimili-ter ue, ſtem. re, ſtim. Eſt enim certe uerum : ue, ſta. ue, ſtibulum. re, ſtibilis. re, ſto. ue, ſcum. Placet S T. diuidi in magiſtro & ſimilibus. Et S P in aſpero & proſpero. Verum eſt dis, cedo. Et di, ſcindo. op, ti-

mus.

mus. ad, op, to. ap, tus. uolup, tas. corrup, tus. Ip, ſe. iſ, te. adminiſ, tro, miſ, ceo. miſ, tus. promiſ, cue. exiſ, timo. Verum eſt ling, ua. Et ſimiliter ſang, uis. Lang, uidus. Ig, nis. ang, uilla. In quibus eſt g. quaſi c. Verum eſt: Sua, ue. ſua, deo. As, ſto. as, ſpicio. diſ, ſpicio, ſuſ, ſpiro. aſ, ſtipulor. ſuſ, ſpicio. ſuſſcribo. ſuſ, terno. & ſimilia: Vera illa quidem ſunt, cum habeant præpoſitionis ad. mutatam conſonantem. Sed molliuntur proferendo. Aſto. aſpicio. diſpicio. ſuſpiro. aſtipulor. ſuſpicio. ſuſcribo. ſuſterno. Sic & in extirpo & extinguo. exto. erpecto. non eſt cur S. littera inſeratur. Abs, ens. Erit igitur & præſ, ens. de eo qui abſit & præſto ſit. Ad, eſſe quidē & ab, eſſe uera ſunt. præ, ſtās eſt excellēs. Præſ, tans eſt præbens. Di, ſco. di, ſciplina. profici, ſcor. aſue, ſco. uerba, ſcum. cre, ſco. (quod ridicule quidam a Græco κρέας duxere) crediderim ſyllabā ſc. habere. Horū an ſimile ſit poſco dubito. In poſtulo etiam & poſtica hæreo. Cum, poſt, quale ſit non habeam exploratum, integrum ne an decurtatum. Nam poſt, ea. ſicut inter, ea. uerum eſt. Obſcuri quoq; uox euidens non eſt. Si enim ducitur á cura nomen, obs, compræhendi debent. ſimiliter obſcenus. Sed in plane ignotis licebit ut quisq; ſequatur opinonem ſuam. Suſ, tulit. ſuſ, cipio. Oleaſ, ter. paraſitaſ, ter. pedeſ, ter. equeſ, ter. Nam ter. terminatio eſt. Sic & arbuſ, tum. cum ſit arbos. Auſterum Græcum eſt. Aſtutus ab aſtu. Id ſi eſt ab aſtu, quod Græcis ἄϝτυ, compræhenſio Græcis uſitata poterit retineri. Puto criſpus. ceſpes. diuiſis conſonantibus eſſe proferendum.

Priſcianus

Priſcianus ſcribit Græcorum imitatione: pa, ſcua. lu, ſcus. Mihi magis arridet paſ, cua & luſ, cus. Ob, ſtrepo. abs, traho. abs, condo. abs, cedo. ſeſ, centi. dis, pliceo. dam, num. erum, na. ag, men. Eſt enim & men. finis deriuatorum. Aux, ilium. obnox, ius. prox, imus. anx, ius. poſt, remus. Extre, mus. ſu, premus. Sũt enim hæc quaſi poſteremus. Exteremus. ſuperemus. Scribo & proſcro: cog, nitus. cog, natus. ig, narus. ig, notus. ig, nauus. Quamuis ſit gnotus & gnatus, & gnarus & gnauus. Eſt enim illud g. loco ng. uel omnino loco n. Vt ſi ſeparetur uocalis i. nimis tenuis ſonus audiatur. Agnitus quidem Priſciano eſt quaſi adgnitus. ſicut agnatus quaſi adgnatus. Moſtellaria fabulæ Plautinæ nomen, eſt à monſtro deminuto Monſtello, eliſa littera n. διὰ τὸ εὔφωνον. Scribo igitur Mos, tell. De complexione conſonantum in his dictionibus: emptum. contempſi. ademptum, & ſimilibus, non eſt diſputandum, cum ſcriptura mendoſa ſit inſerta littera p. Secundum hæc exempla applicando ſimilia, facile decernes: Quæ conſonantes ſyllabas non efficiant, & quæ efficientes illæ quidem ſyllabas, non debeant tamen alicubi compræhendi: Et quando conſonans inter duas uocales poſita, cum ſequente non copuletur. In quibus omnibus originis & deriuationis cognitio neceſſaria eſt. In ueritatis autem ignoratione, quod ſimpliciſsimum & minime affectatum uidebitur, id rectiſsime uſurpabitur. Neq; longiore diſputatione de his uti, neq; plura exempla accumulare uiſum eſt. De his igitur hactenus. Ad quæſtionem

de Ac-

de Accentu (quo nomine Grammatici interpretantes Græcum προσῳδίας, ſonum quendam modificatũ ſyllabæ appellant) Et tẽpore (quæ uulgo quantitates dicuntur.) ſyllabarũ, quod attinet: Id ideo explicatu difficile eſt, quod corrupta uel potius penitus amiſſa pronuntiandi Græci Latiniq; ſermonis ſincera integritate, demonſtrari, re ipſa, nihil certi poſſit. Sed uerbis tamen licet aliquid indicetur: ut non tam quid ſit, quam quid fuerit uerum, quaſi per nebulam intelligatur. Omnino autem (quamuis ſint qui diuerſum tradant) Accentus qualitas eſt. Soni nimirum & uocis moderatio quædam, ſeu tenor. Neq; in id cadit quod quantum dicitur. Ita enim in eodem eſſet, quantum & quantum, neq; diſtingueretur tempus & accentus. Vt, uerbi cauſſa: Longa & acuta ſeu circumflexa. Itemq; breuis & acuta ſeu grauis. Id quod abſurdum eſſe apparet. Sed barbaries noſtra rem confundit. Neq; enim pronuntiatur nunc aliter: Ara Deorum, & ara (cui differentiæ gratia præpoſuerunt h.) porcorum. Scribere quam legere. Venio quam ueneo. Ducis quam regis. Quis autem omnium poterit iam explicare? quid ſit, quod Cicero ait: Inclitus dici breui prima littera, inſanus producta. Inhumanus breui, infelix longa. Vt igitur, quid uerum ſit hac in parte latet: Sic operæ danda eſt, ut quam minime putida atq; inepta & ruſtica atq; abſona ſit pronuntiatio. De aſpirando autem alibi iam expoſitæ extant rationes noſtræ. Tu ut ualeas, & tuos filios ſtudioſe educandos cures, facito. Diligentia enim hac in parte & Deo æterno

10175786

terno grata est, & omnibus non dementibus mortalibus magnopere probatur: ut & per se honesta atque præclara, & usu commoda atq; iucunda. Vale.

PRÆSTANTISSIMO VIRO D. Danielo Stibaro S. S.

S. D.

QVod scribis dolori tibi esse dilationem congressionis nostræ, ut tibi credo, sic non concedo ut maiorem hæc res tristitiam tibi afferat, quam mihi. Nam & carendum mihi maxima uoluptate colloquij tui, & sustinendæ illæ molestiæ sunt morbi, quib. impedior, quo minus iter facere possim. Fui in thermis, quæ falso sic nominantur, non enim calidæ sunt aquæ sed fiunt. Retuli inde hoc commodi ut iam aliquanto sim quam prius afflictior. Nunc alias specto αὐτοφυῶς Δεξμάς. Vbi igitur Huttenus noster est? qui addat se socium & comitetur euntem. Vna etiam expectatio aduentus Philippi moratur me, qui nunquam ita plane scripsit se uenturum esse atq; nuper. Prid. Non. noctem mœstiß. sustinui cum Luna Marti obijceretur in Piscibus. Faustus enim tuus facit, ut tecum lubeat ista disserere, qui utinam docuerit te potius aliquid ex hac arte, quam inflauerit uentulo uanißimæ superstitionis, Aut nescio quibus præstigijs suspensum tenuerit. Sed quid ille ait nobis tandem? Quid etiam? Scio enim te diligenter de omnibus percontatum. Cæsar ne uincit? Ita quidem fieri necesse est. Quam-

uis narrent P P. ſuam interponere tanquam pacifi-
cam perſonam, & petere ab utroq; X X. M. mili-
tum quibus Concilium, quod indicturus ſit, protege-
re, & redigere in ordinem contumaces poßit. Ita
Galli quidam qui apud nos litteris dant operam, fe-
runt. Nos Caroli celebratiunculas emiſimus cupi-
diſſime, itaq; minus elaboratas, ſed probari cupio
uoluntatem. Tibi dedicauimus, & fecimus Philippi
Huteni mentionem temere quidem ut uideo, ſed ho-
norifice tamen, quare gratum fratri illius me feciſſe
confido. Vereor, mi Daniele, ne hoc bellum claßi-
cum ſit maximorum tumultuum. Cur tu tam longe
abes? aut cur non es liberior aut ego firmior? Ad
uos ſi quando uenero, ſcitote me exacturum á uobis
equum, ſed non ut uidere innuere, accipiam cõmoda
to, uolo enim habere proprium cũ primum inſidere
equo uidebor poſſe, qui me huc illuc uehat, qui etiam
auehat, ſi ita res ferat, fugientem. Sed iocis non eſt
locus. De affine meo ago tibi gratias, qui eſt prope
omnibus ſuis fortunis euerſus. Neque ego inuenio
quid opis illi afferre poßim. In propinquo oppidulo
ubi argentifodinæ ſunt aſſedit, ibi commode ſe fore
putat. Quod mihi ſolum conceditur doleo uicem
illius, & miſericordia hac cumulantur aliæ meæ cu-
ræ multiplices. Si max. tu illum tecum habeas, quid
hoc tandem profuerit? quem cogitare & circum-
ſpicere oportet, quid nunc agat quidq; incipiat
quaſi emerſus de mari, utinam quidem euerſus eſſet.
Sed de hoc alias. Tuæ litteræ uidentur neſcio quid
mali tegere. Sic enim ſcribis illos uoluiſſe. Neq; ta-
men ut opinor Gallos deſignas. Verũ refugis expli-
catio-

cationem, propterea fortasse quod quicquid est litteris committere periculosum esse uideatur. Remitto hoc igitur tibi. Sed nostri curam et respectũ non remitto. Quid quæris? nunquam ita requisiui tuũ consilium atq; hoc tempore, tam uariæ et difficiles deliberationes mihi obijciuntur. Vbi hoc est miserr. quod neq; possum neq; audeo omnia plane perscribere. Sed caput est hoc, quod apud nos ex quo hic fui nihil fere omnium ex Rep. & studiorum nostrorum dignitate est gestum. Hoc etsi hactenus acerbe tuli, tuli tamen. Nunc uero animus turbatur non ægritudine aliqua noua, sed attentione & consideratione. Nam mea opera tacite repetitur ab ijs, qui me nuper tam libenter dimisere. Nec nõ ab alijs quoq;, admodũ autem serio à Saxonib. postulatur, afferente Philippo epistolam, ut ipse scribit. Ego autem primum officiũ prodere nequaquam uelim, deinde per mihi fuerit contrarium proxima migratione sumtibus auctis exhausta pecunia, conflatis debitis, in eadem tam cito incommoda recidere. Taceo longiss. itineris molestiam cum ijs impedimentis quæ relinquere non possumus. At enim dũ oculos intendo ad nostras res, dum pericula quæ fortasse his locis propius impendeant, dũ adhuc tenuia, infirma dubiaq; cõsidero, dum ipse me ac meos respicio, & hanc mihi uiam aperiri nonnũquã suspicor ad meliora: Ita, ut necesse est, hæsitans atq; dubius animi iactor in quodã cogitationũ pelago. Sed portũ tamen prospicio, in quo etiam ante delata quasi nauis consiliorũ meorum stetit ac tuta fuit: uoluntatem diuinã. Quæ cũ se ostenderit, statim persequar et contra omnes quasi uentos rerũ aduersarum

10175788

ſarum appetam. Non poſſum iam plura ſcribere. Philippum expecto, quem ubi uidero dabo operam, ut aliquid conſtitutum habeam. Quod ſignificas in tua re priuatim nonnihil uerſari mali, etſi eleuas tu illud quidem, me tamen ualde contriſtatum ſcito. Superbiore titulo nos compellaſti quam debueras. Nulla enim eſt præfectura noſtra, niſi uoluntarij laboris & multiplicis defatigationis, & fugi ſemper omnes honores etiam te ſuadente. Quare iſta poſthac remoueas cenſeo. Sed iam calliditatem tuam animaduerto. Exprimere nobis quoq; hac aſſentatiuncula magnificas uoces te poſſe ſperaſti, ut ſic uel ad talem modum faciamus: Conſuli Francico. Nam, conſules ueteres, ut ſcis, Iudices dixere. Aut, ſi hoc durius uideatur, ſaltem Prætori primo. Sed non faciam, ne ille quem noſti, nos derideat & paganiſmi inſimulet, & me aliquando pudeat mei, Si te aſpexero & cognouero priore humanitate & moderatione præditum, quem ego ita quaſi inflaſſem nominibus. Mitto tibi librum quem petiiſti, me prope huius linguæ pertœſum eſt gentis uitio. Tu fac bene ualeas una cum tuis omnibus. Vale. Tubingæ. Id. Sextil. Anno Chriſti M. D. XXXVI.

Ioachim. Camer.

EIDEM.

S. D.

LItteras tuas accepi, quas ad me dediſti ueſtro huic tabellario. Quibus, commotus ut uidere fama

10175788

fama rerum nostrarum & mea quadam significatione, accurate à me petis ut me quasi integrum seruem ad euentus fortunæ uestræ. Quos equidem cupio optoq; tales esse, qualibus ego uos max. auctos ornatosq; conspicere uellem. Quocirca quod Hutenus me iubet bene precari, facio profecto, neq; ulla spe meorum commodorum, sed ut decet bonum uirum, cupiditate erga illum atq; te singulari, uestra imprimis caussa. Quod si accesserit atq; quasi affluxerit de uestris commodis ad nos quoq; aliquid utilitatis, non solum non aspernabor, sed etiam amplectar, eo quidem libentius, quo gratius illud à uobis, quos semper obseruarim atq; coluerim, offeretur. Quod igitur hortaris me, ut me uobis reseruem, sic existimes, mi Daniele, me plane uestrum esse, neq; non libenter quibuscunq; potero officijs omni tempore uobis cupidiß. inseruiturum esse. Neq; nominatim deferre nunc quidem uobis operam ulla in re aut functione meam lubet, neq; qua in parte nauare possim, ratio apparet. Quare uos date operam ut constituatis uestras res. Meam autem uoluntatem & operam existimate semper præsto uobis & paratam fore, quicquid acciderit. Non enim ego uos delegi mihi ante alios prosequendos amore & honore, quod mercedem ullam expectarem uel potius expeterem: Sed me tecum Daniele primum ingeniorum & naturæ similitudo adolescentem puero coniunxit, deinde consuetudo & familiaritas diuturna arctiß. uinculis nos colligauit. Hutenum autem, ut cum quo fraterna tibi caritas intercede-

ret,atq; uirtutis et artium bonarum ſtudioſiß. dilexi atq; ueneratus ſum. Quid quidem ego poßim efficere in quo mea diligentia et aßiduitas fructum uobis afferat, nihil uideo. Meum enim opificium non ignoratis quale ſit. Sed quicquid in me eſt uel ingenij uel ſolertiæ uel etiam induſtriæ atq; doctrinæ in omnem euẽtum ueſtrum id totum futurum eſſe debetis uobis perſuadere. Philippus Mel. VIII. cal. Octob. ad nos Tubingam uenit, è patria ſua, et incredibili me uoluptate affecit aduentu ſuo, itaq; iam ipſius præſentia iucundiß. fruor. Is quidem mandata ad nos quædam accepit ab illuſtriß. Saxon. Principe, quæ qualia ſint neceſſe eſt tibi in mentem uenire. Ego tamen quomodo hinc ſine repræhenſione diſcedam, ut maxime inuitatione illa mouerer, non reperio. Sic igitur res ſe habet: Ego cui quaſi ſtationi ſum impoſitus, eam non temere deſeram. Nam mihi multa in animo ſunt, cur diuinitus huc me adductum eſſe credam. Et quod turpe ducerem, ex acie deſerto loco fugere, nunc quoq; ſæpe cogito me non modo ſine cauſſa non oportere excedere loco meo, ſed eum etiam per nonnullas difficultates tuendum eſſe. Huteno, mi Daniele, fac prolixe polliceare de mea uoluntate uel potius cupiditate ac ſtudio. Tibi autem, confido, uel, ut uerius dicam, ſcio me penitus eſſe notum, ut erga te uerbis non ſit opus. Friſæum uero quod bene mihi uelle ſcribis, te oro, ut illi oſtendas propenſionem hanc animi ipſius inclinari in memorem atque gratum. Tibi autem meas rationes atq; fortunas non ſolum augendas, ſed plane conſtituendas & regendas committo.

10175788

mitto. Non defugiam tuam autoritatem ulla in re, quam uel ſuſtinere ego poſſe uidebor, uel tu petere á nobis non dubitabis. De Illuſtriß. Princi. Philippo Palatino triſtes rumores ſparſi fuerant, ſed falſos hos fuiſſe celeriter compertum eſt. Ad nos quod attinet: æquo animo feramus, quæ fata tulerint. Atq; hoc noſtrum meditemur:

Optima ſperentur, metuantur peßima, ſed quæ
Sors tulerit, forti pectore quisq; ferat.

Vale cum tuis de quibus nullam á te eſſe mentionem factam admodum mirati ſumus. Philippo Mel. ſalutem perſcribi quam uelles, coram diximus. Qui & gratißimam ſibi eſſe ait memoriam tuam, & uiciſſim ſaluere te, tibiq; ſignificari iubet. Cupere ſe optareq; ex animo, ut quod agis, feliciter eueniat. Cl. V. D. Sichardus quoq; te officioſe ſalutat. Vale.

Ioachim. Camer.

OPTIMO ET DOCTISSIMO
Viro Petro Lotichio Secundo
amico S.

S. D.

NEq; temporum tranquillitas ea eſt neq; offertur opportunitas ut concedatur mihi ſæpe litteras ad te dare. Nam & occaſionibus hoc officium indiget, & aliqua animi quies ad eas ſcriptiones, quales noſtras eſſe cupimus, requiritur. Ferme anno

toto uagatus ſum, & quaſi muſtela mutaui domum. Et quanquam familia noſtra adeſt, tamen hoſpitem hic magis iam quoq; ago quam ciuem. Et redire enim ad Academiam cupio, & hic retineor reſpectu meorum, & itinera perhibentur eſſe periculoſa. Quæ priuata incommoda Reipub. calamitas affert. Cuius quicunq; autores ſunt (nihil enim pronuntio, & certe acerba fata Germanos agunt, neq; hic mihi furor cæcus eſt, neq; uis acrior, ut ait Flaccus, ſed profecto culpa, de qua longum eſſet ſcribere) ſed autores tamen tanti mali, impietate & ſcelere ſe alligant, & ſunt in impunitate & fortunæ proſperitate ipſi miſerrimi. Veneratio Dei æterni & preces religioſæ nobis relinquuntur. Nam ut uereor οὔπω πω πάντων ἐπὶ πείρατ' ἀέθλων, ἵκηθομεν, ἀλλ' ἔτ' ὄπιθεν ἀμέτρητος πόνος ἔσται. Nunc ſtrenue quaſi opere conducto à ciuibus uaſtatur patria. Tanquam pomum ἔριδος obiecta illa quidem prædæ & direptioni ualentioris. Neq; ullius ratio aut cogitatio exitum proſpicere aut definire poteſt. Interea & ſtudiorum cultus deſeritur, & Eccleſia perturbatur, & uia aperitur barbariæ, qua eo perueniatur, ut ad extremum intereant uniuerſa. De te & diſcipulis tuis cupio ea cognoſcere, quæ max. expeto animo meo. Id eſt & recte ualere uos omnes, & illos te amare & ipſos proficere diſcendo, & exiſtimare nihil eſſe ſtudio pietatis ad Deum, & ad homines uirtutis, præclarius aut melius aut magis expetendum. Georgij autem ueſtri cupiditatem ad ſacrarum litterarum lectionem deferri, & hac

10175788

& hac incitari animum iuuenilem neq; patrono ue-
ſtro improbatur, & mihi admodum placet. Itaq;,
ut opinor, nihil hac illi in parte aduerſabitur. Ipſe
modo uideat ad quam partem applicet animum ſu-
um, neq; ulla ſpecie quamuis uenuſta, patiatur a-
uerti uoluntatem & ſtudium à ueritate: Eſt autem
iſte curſus lubricus, Et: πολλάκι τὼ γνώμεω
ἐξαπατῶσ' ἰδ' ἐσθλόν, ſecundum Theognidem. Ipſi qui-
dem & cæteris tuis omnibus ſalutem dici cupio uer-
bis meis, inprimis Erhardo. Georgius Gabriel una
cum Paulo & altero Lochnero in Burgundiam ſe
contulit. Ita enim uiſum fuit D. Stibaro. An quem
nuper δεξιολαβοῦντα in Hercinia hinc excurri.
Sed hæc te iam cognouiſſe exiſtimo. Quid tuæ Mu-
ſæ agant ſcire cupio. Meæ quidem quamuis percul-
ſæ & trepidæ, non poſſunt tamen non facere, quin
aliquid etiam inuita, ut dicitur, Minerua, moliantur
illæ quidem magis quam elaborent. Te quam feliciſſ.
ualere cupio. Vale. Norimb. IX. Cal. Nouembr.

Ioachim. Camerar.

EIDEM.

S. D.

INter moleſtias peregrinationis & curas, cum de
me & meis tum Rep. magnam nuper conſolatio-
nem attulit conſpectus Danieli Stibari, ad quem
cum relicta Lipſia cum parte familiæ in patriam
ueniſſem, ſtatim me contuli ut amici ſuauiſſ. & uiri

integerrimi colloquio fruerer. In quo cum quasi defessus animus gratissima quiete recrearetur, accessit de improuiso altera uoluptas quam cepi legens tuas & tuorum discipulorum litteras, inprimis Georgij Gabrieli, & Erhardi. Quorum alterum quia animaduertebam bonas artes & studia pietatis ac humanitatis diligere & sequi, amaui semper, alterum aliquando deerrabundum in uiam reuocaui cohortatione mea, quod animum excelsum & bonam mentem, prauis consilijs detorqueri cognouissem. Atq; hanc meam uoluntatem & hunc respectum utrique probatum iri indies magis confido, cum planius studium & fidem meam aucta ætate perspicere poterunt. De tuis autem litteris uisus sum mihi intelligere, Te nonnihil offensum fuisse increpatione quadam Danieli Stibari, qui ad suos propinquos & fortasse teipsum scripsisset iracundius. Ego uero tibi, mi Petre, quem ualde amo & cui mirifice cupio, polliceri possum, ita esse affectum erga te Stibarum, ut cum suo ille iudicio, quod semper magni feci, tum aliorum prædicatione, de te præclare sentiat, & tuam uirtutem, humanitatem, eruditionem admiretur. Quanta autem magnitudo amoris sit huius erga suos, benignitas ipsius facile declarat. Sed hoc genus quale sit nosti, immodicos sumtus ab ætate iuuenili fieri nolunt, rationem impensarum accurate exigunt. Ne scire quidem adolescentiam uolunt quid sumtus illi feratur. Hanc σφαδάζειν πῶλον ὡς εὐφορβίᾳ, ægre ferunt. Multa metuunt, rumusculis &, dicam enim uerum, suspicionibus interdum

dum commouentur. Quibus tua humanitas non debet offendi. Adolescentibus certe seueritas hæc non nocebit. Et ille si quid ad te scripsit uehementius, propinquorum caussa scripsit, ut illi magis uererentur, cum te etiam corripi uiderent. Quæ etsi arbitrabar te ipsum esse cogitaturum, tamen singularis amor erga te meus fecit ut monerem atq; subijcerem. Stibarum autem meum uel nostrũ potius, cupio à te diligi & coli, uel ipsius uel mea caussa. Tibiq; promitto, quicquid in eum officij ac studij contuleris, id nisi tempora Reipub obstiterint, tibi fructuosum, in omnem certe euentum iucundum fore, et ego quidem me arbitraturus sum memoriam animi grati hoc nomine á me quoq; tibi deberi. De his igitur hactenus. Tuos discipulos omnes meis uerbis salutes á me uelim. Georgium autem Gabrielem horteris, roges, ores, ne spem meam quam non modo de studijs, sed dignitate etiam ipsius concepi, festinando uel debilitet uel omnino fallat. Non sunt mihi ignotæ incitationes istæ ἡχὴ ὁρμαί μεγάλης φύσεως. Etiam ipse cum illa ætate essem, tales quosdam impetus sensi & his etiam indulgere cepi. Verum, fatebor enim, non mea consideratione, sed diuinitus illi repressi fuerunt. Etsi autem, si euolassem quo gestiebam, ad opes & honores peruenire potuissem, tamen nunc lætor ea impedimenta mihi oblata fuisse, quibus tunc irascebar. Quod si noster Georgius cum suo tum eorum qui illi opt. uolunt iudicio atq; consilio retineri se in hac studiorum humilitate diutius patietur, non modo euentu, sed caussa

quoq;

10175788

quoq; aliquando delectabitur. Hæc igitur niſi tu aliter cenſeas, ei ſignificabis, & ſi rationes tuæ cum meis congruunt, addes tuas ὑποθήκας ad noſtras. Scripſi autem hæc Norimbergæ feſtinanter, cum etiam ad iter quoddam neceſſarium accingerer, inter negotia & uarias ſollicitudines exprimente mihi hanc ſcriptionem beneuolentia erga tuos diſcipulos & erga te ſtudio meo. De Repub. quid ſcribam neſcio. Nuſquam adhuc ἀρχνῶν ἔργα, ſecundum ueterem Poëtam, δ' ἄμνηται ἔγχεά τε λογχωτὰ ξίφεα τ' ἀμφήκεα, χαλκαύω δ' ἐ πάντοθ' σαλπίγγων ητύπω. Itaq; hoc tempus iam Germaniæ, nõ ut in Comædia eſt, δίδωσι τοι ἢ δ' ὀξαμ ἤτοι διαβολὴν, ſed affert aut ſalutem aut interitum. De quo permittenda ſunt Deo cætera. Quem oremus ut omnes ſe pie & religioſe inuocantes benigne conſeruet. Vale, & cum tu tum tui ad me ſæpe litteras mittite. Iterum uale. Norimb.

IIII. Non.
Nouemb.

Ioachim. Camerarius.

Errata Typographica ſic corrigantur.

Charta A 7. uerſu a fine 7. legatur ſtuderes.
Ch. B. 2. dorſo. u. a f. 9. l. riſuq; uir. Ch. C. d. u. a f. 4.

f.4. l. perimedeas. Et ib. u. ultimo l. τ. ἐσλῶ Ch.C. 6. u. a f. 9. l. nugas: Ch. c. 8. d. l. tuis erga me benef. Ch. D. 6. u. 16. l. quidam to. Ch. E. 1. u. a. f. penultimo l. uelim.) Ch. eadem d. u. 10. & u. 15. l. Benac. Ch. E. 3. u. 3. l. ſplen. C eadem d. u. 11. l. Nunc ubi. C. eadem u. a. f. 11. l. cui fun. Ch. E. 4. u. ultimo l. quos uid. C. eadem. d. u. 8. l. Deſinit. Ch. E. 5. u. ul. l. ite uias. Ch. F. 6. d. u. a. f. 6. l. Olymp. Ch. F. 8. d. u. 2. l. materiæ. Ch. G. 4. u. 13. l. ſanctumq;. Ch. G. 8. d. l. Abbæ. Ch. H. 1. d. u. 4. l. luget. Ch. H. 6. d. u. 1. l. conſulib. Ch. H. 8. u. 5. l. tur. Ch. I. 4. u. 7. l. perdice. Ch. K. 3. d. l. crenatæ. Ch. K. 4. u. ult. l. conabor. Ch. K. 7. u. 4. l. ἐκφαίνειρ. Ch. eadem u. a. f. 4. l. leges. Ch. K. 8. u. a. f. 7. l. τηλικ. Ch. L. 1. d. u. a. f. 4. l. κρείττω. Ch. L. 2. u. a. f. 4. l. ἀλιονό. Ch. ead. u. a. f. 3. l. τωάλλως. Ch. L. 3. u. 9. l. κηρύττ. Ch. L. 4. d. u. a. f. 6. l. demonſtraturum Ch. l. 5. u. 6. χθης. Ch. L. 6. d. u. a. f. 10. l. ἀπορ. Ch. l. 7. u. 3. l. τἀπίχ. Ch. l. 8. u. penultimo l. χρυσίδ. Ch. M. 3. u. 3. l. τυπ. Ch. M. 5. u. 13. l. didicerint. Ch. M. 6. d. in epiſtola u. 4. l. κοιν. Ch. O. 1. u. a. f. 14. l. poßim. Ch. O. 3. in epiſtola u. 8. l. ex calend. Et u. a. f. 4. l. Solinus. Ch. O 5. u. 10. l. Gryphas C. P. 5. u. a. f. 4. l. quidem Et u. a. f. 6. l. ut una deg. C. P. 5. d. u. 4. l. eant Ch. Q. 1. u. a. f. 3. l. nauatum iri ſtud. C. Q. 2. u. a. f. 12. l. ſecuram. Ch. Q. 3. u. 3. l. percepta mal. Ch. ead. d. u. 8. l. nouiſti Ch. Q. 4. u. 1. l. ἀπ. Ch. Q. 5. u. 6. l. προσθοῦτας Ch. Q. 6. u. ult. l. anniſus ſis Ch. S. 4. d. u. a. f. 6. l. conſcendes. Ch. S. 8. u. 5. l. eſſe ſemper duxi Ch. T. d. u. a. f. 7. l. ἐξ ὑπάλ. Ch. T. 8. u. a. f. 9. l. uiam red.

10175786

10175786

P 7.

8

V 3

10175786

10175788

XXX

X 97